Digitized by Google

1351013

...ucium ... tout le monde

...ferrarum et terra ...

39-B



B510183

COLLOQVIA,

SIVE CONFABVLATIONES TYRONVM LITERATORVM,

HERMANNO *Schottennio Hesso autore. Ab eodem nuper plusquàm triginta Conuiuiis lepidissimis aucta.*

AD HÆC,

Quotidiani sermonis formulas communiores, ex doctissimis quibusq; Autoribus decerptas, in puerorum gratiam adiecimus.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE

LVGDVNI,
APVD THEOBALDVM PAGANVM.
1566.

Digitized by Google

HERMANNVS SCHOTTENNIVS HESSVS

CANDIDO LECTORI.

VM nuper hasce cõderem nugas pueriles, Candide lector, in eorũ vsum qui sub mea agunt ferula, ilico exoriebantur nonnulli (nescio amore an odio ducti) qui dicerẽt, se satis admirari non posse, edendi Colloquia prouinciam me velle subire post Erasmum illum Germaniæ decus, & literarum verarum vindicem nostra ætate, cuius colloquia omnium iuuenum palatis satisfacerent. Horum stomacho paucis respondere lubet. Admiror ego rursus ipsos, qui credant nihil me audere debere in confabulationibus nouis cõponendis, ob Erasmi autoritatem. Nónne in literario munere multos in eandem arenam descẽdisse legimus, neq; absterritos ob id, quòd alij albis (vt aiunt) equis præcesserint? Nam, vt inquit Cicero in oratore ad Brutum, in Poëtis Græcis, non soli Homero est locus, aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro, sed horum vel secundis, vt etiam infra secundos. Neq; verò in Philosophia Aristotelem à scribendo deterruit amplitudo Platonis. Nec ipse Aristoteles admirabili scientia & copia cæterorum studia restinxit. Demosthenes quanuis Græcorum oratorum excellentissimus esset, multi tamen alij eo tempore viguerũt, neque postea defecerunt. Quare & ego semipaganus, ac in literis Camelus saltans, ausus sum post Erasmum, Colloquia Tyronum literatorum conscribere: quæ si non optima reddidi, contentus saltem ipsa vel optimis proxima censeri. Solùm enim hęc in meorum discipulorum vsum composui, & illorum, quorum ingenia humi repunt, aç Latinũ sermonem nondum neq; à limine salutarunt, neq; primõribus labiis attigerunt. Bene Vale.

Digitized by Google

B510183

ET GENERE,

ET MORIBVS ADOlescenti ingenuo Gysberto Sterckenberg,

HERMANNVS SCHOTTENNIVS.

HESSVS S. P. D.

LATONEM quondam discipuli rogitarunt, vt ea quæ ipsis lectionibus variis tradidisset, in vnũ redigeret volumen: quorum precibus Philosophiæ præceptor ille diuinus facilè consensit, conscribens libros complures in Philosophiæ consecutionem. Huius ego excitatus exemplo, vt fidus æstimarer ingeniorum saginator, Latinas locutiones, quas hactenus satis abũdè tibi tuísque cõmilitonibus literariis dictaui, in vnum hunc confabulationum libellum congeßi, quo tuam Mineruam Latinè loquendi copia irrigarem, vt quandoque ẽlimatior reddita, patris tui, viri prudentißimi, mihi amicißimi, expectationi de te, tuísque aliis duobus fratribus Ioanne & Matthia, respõdeat. Acuius vestigiis te degenerare turpißimum certè esset: huius vt votis ausculties (feruidè scilicet amplectendo literas) æquißimum erit, tibique multo magis, quàm ipsi

Digitized by Google

conducet. Et vt facilius emergas, tu cæteriq; tui fratres & sorores, neq; vnquam egestate obruamini, ipse pater vester virtutũ veriũ domicilium huius inclytæ vrbis Agrippinæ de albo Senatorũ prudentia nulli secundus, omni conatu, omne mouendo saxum, etiam & cælibem ducendo vitam: id vnicum agit, quo te, tuósq; fratres & sorores ditet, locupletet, & vobis vt congerat reliquæ vitæ commeatum. Suis igitur, Gysberte discipule dilectißime, expectationibus rogo respondeas: tunc autem respondebis, si scientia & virtute te pulchrè ornaueris. Vale Gysberte charißime, ac cum tuis commilitonibus aliis mihi discipulis strenuè studeas. Animus mihi est, in literatos vos euehere viros, vobis animus sit velle proficere. Faxit Deus, vt vtrunque vtriq; bene succedat.

Iterum va

le.

COLONIAE ex ædibus meis, decimonono Calendas Martias.

Digitized by Google

COLLOQVIA, SIVE CONFABVLATIONES TYRONVM LITERATORVM.

Difficile esse Latinum discere sermonem, & vnde dicatur sermo Latinus.

ALBERTVS, & ANTONIVS.

QVID *tu hic terrarum geris?* Anton. *Hîc literis incumbo.* Albert. *Quando ueniſti huc?* Anton. *Ante paucos dies.* Albert. *Quis tecum?* Anton. *Pater meus.* Albert. *Rediit ipſe deinde ſolus in patriam?* Anto. *Non, ſed habuit comitem unum aut alterum.* Albert. *Qui iſti fuerunt?* Ant. *Noſtri conciues fuerunt.* Alber. *Militas in ſchola ſermonis Latini uel Germanici?* Anton. *Latinæ linguæ.* Alb. *Difficile eſt Latinum addiſcere ſermonem.* Anton. *Conſentio.* Albert. *Niſi quis ſemper loquatur Latine, ægrè addiſcet.* Anto. *Non diſſentio.* Albert. *Sed ſciſne quare dicatur lingua Latina?* Ant. *Credo quòd ab Italia, quæ quondam Latium eſt dicta.* Albert. *Venit tunc ab Italia lingua Latina ad nos Germanos.* Anto. *Ita, ignoras illud?* Albert. *Optimè credo, quia ſermo Italorum eſt medius Latinus.* Anton. *Non aberras.* Albert. *Sed cur Italia olim dicta eſt Latium?* Anton. *Quia Poëtæ ſcribunt, dum Saturnus à ſuo filio Ioue è cœlo eſſet expulſus, tum latuit in Italia, inde à latendo dicitur Latium. Et à Latio Latinus, a, um.* Albert.

BIBLIOTH. DE VILLE LYON

Digitized by Google

Vbi in Italia Latina lingua est orta? Anton. *Dicunt in urbe Roma, quæ Italiæ caput est.*

De salutatione matutina.

VILHELMVS, & VOLFGANGVS.

BOnum mané. Volfg. *Semper sané.* Vilh. *Sic ipse non responderem.* Volfg. *Cur non?* Vilh. *Quia barbarum est, & doctis displicet.* Volf. *Tamen multos sacerdotes ita fari audiui: uerùm dic tu, si nosti, elegantius.* Vilh. *Et tibi quoque, dicerem.* Volfg. *Et ita posthac responsum solutanti dabo.* Vilh. *Bonus uel bona dies.* Volf. *Et tibi.* Vilh. *Precor tibi hunc diem candidum.* Volf. *Tibi quoque & talem rursus precor.* Vilh. *Felix sit tibi huius diei exordium.* Volf. *Et tibi quoque.* Vilh. *Opto tibi diem felicem.* Volf. *Eiusmodi & tibi opto uicissim.* Vilh. *Candidus sit tibi hic dies.* Volfg. *Tibi etiam.* Vilh. *Precor, ut hoc die tibi prosperè succedant omnia.* Volf. *Rursus & tibi fiat istud.* Vilh. *Opto ut hodie nihil tibi accidat mali.* Volf. *Non aliud & ego opto tibi.* Vilh. *Auspicatum tibi diem precor.* Volfg. *Non inauspicatum tibi per uices precor.* Vilh. *Faxit Deus, ut hic dies tibi candidus illuxerit.* Volf. *Idem faciat ut talis sit tibi. Felici omine hic dies te afficiat.* Volf. *Te pariter.* Vilh. *Fortunatus præsens sit tibi dies.* Volf. *Sit tibi non infortunatus.*

De salutatione Pomeridiana.

PETRVS, & CORNELIVS.

SAlue. Corn. *Salue & tu.* Pet. *Sis saluus.* Corn. *Saluus sis tu quoque.* Petr. *Sis salutatus.* Cor. *Tu pariter.* Petr. *Salutem tibi precor.* Corn. *Eandem & tibi opto.* Petr. *Salute te impertior.* Cor. *Ego quoq;*

te.

Digitized by Google

te. Pet. *Salus sit tibi.* Corn. *Et tibi non desit.* Pet. *Salutem opto ut habeas.* Corn. *Eam precor habeas & tu.* Pet. *Adsit tibi salus.* Corn. *Et tibi absit minimè.* Pet. *Iubeo te saluere.* Corn. *Te quoq; ego.* Pet. *Iubeo ut salvum sis.* Corn. *Talem iubeo & ego te esse.* Pet. *Iubeo te salute frui.* Corn. *Et ea te potiri opto.* Pet. *Salutifera sit tibi fortuna.* Corn. *Et talis tibi adsit.* Pet. *Saluam & incolumẽ uitam habeas.* Corn. *Talẽ habeas & tu.* Pet. *Salute te afficio.* Corn. *Ego uicissim & te.* Pet. *Adeo te salute.* Corn. *Id facio & ego.* Pet. *Salute te adorior.* Corn. *Non aliter & ego te.* Pet. *Saluum te esse toto cupio animo.* Corn. *Et ego infelicem te non esse desidero.* Pet. *Felicitatis particeps sis, anhelo.* Corn. *Totus & tu sis felix.* Pet. *Secunda tibi sint omnia.* Corn. *Tibi etiam secundè aduenient singula & ex sententia.*

De salutatione Vespertina.

IOANNES, & GYSBERTVS.

Bonus uesper. Gysb. *Et tibi.* Ioan. *Bonum serum.* Gysb. *Sic ego non loquerer.* Ioan. *Quare?* Gysb. *Quia serum significat tardè, & non tempus uespertinum.* Ioan. *Tamen Capnion in Comœdia prima dicit: Vxor, bonum serum.* Gysb. *Id ioco dicitur, & qui loquitur, est homo uillanus imperitus.* Ioan. *Est ne dicendum Bonum uesper?* Gysb. *Non, sed bonus.* Ioann. *Tamen sic olim loquebantur, & adhuc quidem scnes.* Gysb. *Quid tum? nunc non licet apud doctos.* Ioann. *Precor tibi felix tempus uespertinum.* Gysb. *Idem & tibi opto.* Ioan. *Felicem noctem tibi opto.* Gysb. *Talem & tibi precor.* Ioann. *Auspicata sit tibi nox.* Gysb. *Non alia sit & tibi.* Ioan. *Faustam habeas noctem.* Gysb. *Tu quoque.* Ioann. *Fortunatum tibi sit tempus nocturnum.*

num. Gysb. Et tibi non infortunatum. Ioan. Candidam tibi opto noctem. Gysb. Et ego non siniſtram tibi precor. Ioan. Proſpera ſit tibi nox imminens. Gysb. Tibi etiam non infelix. Ioan. Veſpertinum tibi commodet tempus. Gysb. Et tibi non incommodet.

De verbis dum cubitum itur.

VALTERVS, & ADRIANVS.

QVota eſt hora? Adrian. Octaua. Valt. Quotam horam ſonuit? Adrian. Octauam. Valterus. Quota eſt audita hora? Adrian. Octaua, & nona imminet. Valt. Id non credo. Adrian. Verum eſt per Herculem. Valt. Tunc eundi cubitum tempus eſt. Adrian. Ego nondum dormiturio. Valt. Me autem ſomnus oppido urget. Adrian. Ipſe adhuc horam aut alteram uigilarem. Valt. Vigila tu quo ad placuerit, ego cubitum ibo. Adrian. Abi tu Endymion. Valt. Ita me appellas, ſed id nominis rectius tibi conuenit. Adrian. Res ipſa nunc loquitur, quis maior ſit Endymion & Epimenides. Valt. Tu alias ſemper prius me te cubitum confers. Adrian. Iſtud poſthac non fiet. Valt. O' inſigne mendacium! Adrian. Voco te in pignus quodcunque. Valt. Nihil habeo quod tecum deponam. Adrian. Nunc, ſi unquam prior te lectum petiero, ſolidum pendam. Valt. Qualem ſolidum? an talem, qualem præceptor noſter præbet ferulas? Adrian. Non, ſed pecuniæ ſolidum. Valt. Agè placet, memor ero. Adrian. Iſtud facias.

De cubitu reſurgendo.

VOLFGANGVS, & GEORGIVS.

HEus tu, expergiſcere. Georg. Hui, ſine ut dormiam. Volfg. Non ſinam te dormire longius. Georg.

Qua

Quare? Volf. Quia surgendi tempus est. Georg. Nondum tamen diluxit. Volf. Lux non est amplius expectanda. Georg. Tamen ante dies octo hora sexta in luce sonuit. Volf. Credo, sed interim dies diminutus est. Geor. Quomodo tam citò? Volf. Nunc pauca loquere, & surge. Georg. Surge tu prior. Volf. Faciam, sed postea te non expectabo. Georg. Fac ut lubet, nam mihi ad scholam nota est uia. Volf. Verùm & ego lucernam mecum feram, tum tibi in tenebris est eundum. Georg. Id parum refert, Lyncei mihi sunt oculi. Volf. Nunc surge, ut unà eamus. Georg. Ah, si liceret mihi adhuc momentum stertere. Volf. Tandem tamen oporteret te calidum deserere nidum. Georg. Post semihorulam ac lubens surgerem. Volf. Surge nunc, & uespere eò citius lectum repetas. Georg. Aestimas id consultum probé? Volf. Ita mea fert opinio. Georg. Parebo tibi, ac surgam.

De Ientaculo sumendo.

HERMANNVS, & LAVRENTIVS.

QVid sibi uult celer tuus gressus? Laur. Quid loqueris? Herm. Quæro quò tendas tam cito gradu. Laur. Domum uersús. Herm. Quid isthuc est, quod te properare cogit? Laur. Ientaculum nunc ibi sumitur, quod negligam, si nõ mox affuero. Herm. Non expectant te serui ientando? Laur. Expectant quidem, sed patina exinanita. Herm. Non tum coquinæ ministra aliud tibi parat ientaculum? Laur. Minimè, sed citius fustem mihi offert tam serò uenienti. Herm. Cogeris tunc esurire ad prandium usque? Laur. Non prorsus. Herm. Quid tum ientaris? Laur. Panem cui, pro obsonio

addo caſeum. Herm. *Non iuuat te id ientaculi?* Laur. *Non quantum panis iurulentus.* Herm. *O tu delicate & miſeriæ expers.* Laur. *Neſcis fruendum eſſe fortuna, dum præſto eſt?* Herm. *Bellè ſcio, ſed delicatus iuuentus omni ætati nocet.* Laur. *Iuuentus mea etiam non adeò lautè alitur.* Herm. *Nunc ſat eſt uerborum, tu abi, ne te morer.* Laur. *Abeo, tu uale.* Herm. *Sis mei memor dum ex uoto tibi ſuccedit.* Laur. *Non intermittam.*

De prandio

THEODORICVS, & BAPTISTA.

QVid ita mœſto es uultu? Baptiſta. *Mirarís hoc?* Theod. *Quid ni mirarer? laboráſne morbo?* Baptiſta. *Ita, morbo ſtomachi, quia fortiter eſurio.* Theod. *Nondum es ientatus?* Baptiſta. *Eſſem ientatus, cùm ſit ieiunium?* Theod. *Seruáſne tu ieiunium?* Baptiſta. *Non obſeruarẽ magis certe quàm lubeat.* Theod. *Sis bono animo, mox aderit prandij hora.* Baptiſta. *O utinam adeſſet, quàm ego uellem!* Theod. *Expecta, iam audies horam undecimam.* Baptiſta. *Si illam audirem, hunc roderem panem.* Theod. *Prandebíſne ad nudum panem?* Baptiſta. *Non, ſed ipſum ederem, quoad melius conſequerer.* Theod. *Quid obſonij domi ueſtræ paratum eſt in prandium?* Baptiſta. *Aeſtimo olus, oua, & halec unum aut alterum.* Theod. *Exaturas te etiam iſto cibo?* Baptiſta. *Vtique, olere uoragines uentris impleo.* Theod. *Quot oua peredis?* Baptiſta. *Nunquàm plura niſi duo.* Theod. *Addis ouis etiam halec unum?* Baptiſta. *Addo, & quidem integrũ, ſi toſtum eſt.* Theodo. *Quid te delectat halec crutum ſalſugine?* Baptiſta. *Ab iſto nauſeo.* Theod. *Quî tum iuuat te halec elixum?* Baptiſta. *Vtcunq; præſero tamen toſtum.*

De

De victu pomeridiano.

LVDOVICVS, & IOANNES.

CVr ita alte *suspiria ducis?* Ioan. *Pudet me dicere causam.* Ludou. *Credo quòd domum cogitas.* Ioan. *Pene rem acu attigisti.* Ludou. *Vrgerisne sitis?* Ioan. *Ita, sed & fame.* Ludou. *Nondum forte prandisti.* Ioan. *Prandi utique, sed modice.* Ludo. *Fuit uobis prandium adeò exiguum?* Ioan. *Fuit, quia foris prandebant parentes.* Ludou. *Non sat habuisti panis & caseis?* Ioan. *Habuimus quidem, sed isto non capior cibo.* Lud. *Sumes iam domi cibum merendinarium?* Ioan. *Sumam, Deo fauente.* Ludou. *Erit lautior, quàm meridiei fuit obsonium?* Ioan. *Ita spero, si mater domi fuerit.* Ludo. *Quid tu ipsius eges præsentia?* Ioan. *E promptuario cibi aliquid carnis mihi largietur.* Ludou. *Vt audio, caro domi uestræ occluditur.* Ioan. *Occluditur, sed non prandij uel cœnæ tempore, dum parentes adsunt.* Lud. *Sed dum absunt, forte occlusa seruatur.* Ioan. *Nonnunquam.* Ludou. *O miseram uestram familiam, cui carnes denegantur interdum.* Ioan. *Non est misera, sat habet alimenti.* Ludouic. *Sed ad merendam & ientaculum nihil habet carnis.* Ioan. *Istud facile est toleratu: nescis tenuem tunc temporis oportere esse cibum, aliàs in cœna uel prandio nihil haberemus esuriei, neque ad edendum essemus alacres.*

De Cœna.

PETRVS, & VALTERVS.

SAlue, *ut tecum agitur?* Valt. *Et tu salue, agitur mecum prospere, gratia superis.* Petr. *Id lubens audio.* Valt. *Gratiam habeo.* Petr. *Vbi toto latuisti die?* Valt. *Nusquàm, nisi in ludo literario.* Petr. *Esset mihi quod*

tibi

Digitized by Google

tibi loquerer, si uacaret. Val. *Certè modò uacat minimè.* Pet. *Quî sic.* Valt. *Nox imminet, domum mihi eundum est illico.* Petr. *Domi quid ages?* Val. *Cœnabo cum parentibus.* Petrus. *Non licet tibi pauxillum morari?* Val. *Non, si saltem plagas uitare uolo.* Petr. *Fartasis tuum est mensam sternere?* Valter. *Est, simul & ad cyathos stare.* Petr. *Non facit famula ista munera?* Valt. *Non, sed in popina agenda exequitur.* Petr. *Cœnant parentes tui semper domi?* Valter. *Ita, uerùm prandent quandoque foris.* Pet. *Nunquam uocantur & interdum aliò ad cœnam.* Valter. *Persæpe, sed uenire renuunt.* Pe. *Quamobrē recusant?* Val. *Timent noctu plateas emetiri.* Pet. *Vanè timent.* Valt. *Nequaquam: nescis noctem nihil boni, sed sæpe pugnos afferre?*

De Postcœnio.

CORNELIVS, & ADRIANVS.

O Vtinam nox præsto esset. Adr. *Cur id uelles?* Cor. *Quia delicati aliquid edulij edam.* Adria. *Vbi, domi uestræ?* Cor. *Non, sed alibi.* Adr. *Vbinam duc amâbo mi Cornelî?* Cor. *Dicam, sed tibi nihil conferet.* Adri. *Quid tum, gestio tamen audire.* Corn. *Arrige igitur aures.* Adrian. *Faciam sedulò.* Corne. *Parentes mei sunt uocati ad dubiam cœnam, quam postcœnium appellitant.* Adrian. *Quid ibi tu frugis speras?* Cor. *Permultum sanè.* Adrianus. *De isto me certiorem reddas.* Corne. *Lucernam feram isthuc, ut domum uersùs reducam parentes.* Adrian. *Tum tibi fortè ad lumen tibi operiendum erit.* Cornelius. *Non, sed intromittar, quia ædium custodem nosco.* Adrianus. *Intromissus quo concedis?* Corn. *Mensam accedo, cui parentes accumbunt, ibi bolum opiparum conse-*

parum consequor. Adri. *E' parentum manus?* Corn. *Ita & quidem largiter, saccharum, mellitissimumque potum.* Adri. *O si tum tibi adessem: sed ore & mihi sacchari buccellam ferua.* Cor. *Polliceor tibi, si ipse non totum absumpsero.* Adrian. *Fac te amicum experiar.*

De potu postremo à cœna.

QVIRINVS, & NICOLAVS.

VT sic sedes nutanti capite? Nicola. *Dormiturio.* Quiri. *Certè non dormituris, sed iam dormis.* Nicola. *Fortassis.* Quiri. *Quin surge, & cubitum perge.* Nicola. *Congredere mihi.* Quiri. *Cur me comitem petis, timésne lemures?* Nicola. *Non, sed quia lectus friget.* Quirin. *Ventris anhelitu ipsum tepefac.* Nicol. *nequeo, quia rapas cœnatus non sum.* Quirin. *I præ, posquàm denuo bibero, sequar.* Nico. *Mihi quoq; palatum adhuc aret.* Quiri. *Mane, eo eductum haustum postremum à cœna.* Nicola. *Manebo, sed uelox redi.* Quirin. *Promámne plusculum tui gratia?* Nicol. *Sic facito.* Quiri. *En, hîc affero.* Nico. *Gratum mihi est.* Quir. *Sed præbibere est meum.* Nic. *Non displicet mihi.* Quirin. *Medium tibi propino.* Nicola. *Prosit, sed non exhaurias totum.* Quiri. *Ne dubita, sat tibi reliquum sinam.* Nicola. *Nunc bibe actutùm.* Quirin. *Vides plus tibi relictum, quàm à me potatum.* Nicolaus. *Video, rursus tecum partiar.* Quirin. *Non admodum moror, si lubet exicca.* Nicol. *Nimium est, quàm quod ebibere possem.*

De inuitatione ad Ientaculum.

CRATO, & MICHAEL.

O Te miserum hominem! Mic. *Quid me miserum uocas?* Cra. *Quia domus tua hinc longè distat, non*

Digitized by Google

non potes ientare. Mich. *Assuetus sum ad prandium usque famem suspendere.* Crato. *Id certè meo non arrideret stomacho.* Micha. *Tu bene in ipso nido ederes.* Crat. *Si esuris, ueni mecum ientatum.* Micha. *Istud tibi cordi non est.* Crat. *Seriò loquor, comitare me.* Micha. *Sed quid mater tua diceret?* Crat. *Ipsa aberit ab ædibus.* Micha. *Nunc lubet mihi congredi.* Crato. *Sed id tibi prædico, præter panem iurulentum habebimus nihil edulij.* Micha. *Credo, quia fortassis caro nondum erit percocta.* Crato. *Rectè coniicis.* Michael. *Instruit famula tam serò focum?* Crato. *Ita, quia non nisi undecima hora accumbimus mensæ.* Micha. *Cur tam serò?* Crat. *Quia non citius pater à negotiis executis domum redit.* Micha. *Non prandetis nisi ipse præsto fuerit?* Crat. *Essemus adeò inciuiles, quòd ipsum non operiremur?* Micha. *Istud non suspicabar.* Crato. *Nunc ingrediemur, ne coquinæ ministra ientaculo nos maneat.* Micha. *I præ, sequar.*

Inuitandi alium ad prandium.

PETRVS, & GEORGIVS.

TEmpore pomeridiano gymnasio nostro non interero. Geor. *Quid te remorabitur?* Pet. *Vocandi mihi erunt conuiuæ in crastinum prandium.* Geor. *Qui fit, quòd conuiuas inuitaris.* Pet. *Bouem mactauimus, ad intestina hospites tractabimus.* Geor. *Etiam & me?* Pet. *Si non est tibi lautior mensa, uenias.* Geor. *Vmbra sum, nolo.* Petr. *Emaneres ideo?* Ge. *Ita, nam umbris nõ est parata sedes.* Petr. *Ignoras conuiuam subitum & improuisum, nonnunquàm uocato esse acceptiorem?* Geor. *Apud paucos certe.* Petr. *Parentes mei omnes ex æquo tractant & excipiunt conuiuas.* Ge. *Nosti tu parentum*

cogita

cogitatus? Pet. *Ego opera eorum & mentis perpendo recessus.* Georg. *Sæpe aliud foris, & aliud corde habent homines.* Pet. *Talia de meis desine parentibus suspicari.* Ge. *Esto, faciam.* Pet. *Actutum cras decima postquàm sonuerit, ueniàs. Domi nostræ nil plus dicas, quàm parentes salutes.* Georg. *Essem adeò inciuilis?* Pet. *Te à me inuitatum loquuor.* Georg. *Faciam, tum audacior ero, ingrediendo domum, & ad mensam edendo ac bibendo.*

Vocandi alium ad cibum pomeridianum.

ANTONIVS, & ALBERTVS.

QVid in sinu geris adeò turgidum? Alber. *Cibum merendinarium.* Anton. *Certè prouidus es, quòd esuriem futuram præmeditaris.* Alber. *Non & tu quippiam alimenti tecum tulisti?* Anton. *Mehercle ne bolum quidem.* Albertus. *Fortè memoriæ tuæ non obrepsit.* Anton. *Non soleo à prandio cibum ferre mecum in ludum literarium.* Alber. *Si esuris, tecum hunc panem partiar.* Antonius. *Vix tibi soli sufficit.* Alber. *Aestimas me uulturem esse?* Anton. *Non sed ipse ieiunus istum panem uno deuorarem ictu.* Alber. *En, accipe dimidiatum ipsum.* Anton. *Hui, tantum non expeto.* Alber. *Casci, quantum lubet, ede.* Anton. *Comede & tu.* Alber. *Non admodum esurio.* Anton. *Tamen edendo sis mihi comes.* Alber. *Faciam, ne cibus tibi uenenatus uideatur.* Anton. *Istud non soleo uereri.* Alber. *Vt tuum delectat palatum caseus iste?* Anton. *Optimè, nam pinguedine affatim est conditus.* Alber. *Paritne tibi sitim?* Anton. *Paululùm excitat mihi palatum.* Alber. *Ex hac lignea lagena tibi propino.* Anton. *Sit felix tibi bibenti.* Alber. *Ceruisia est nostra domestica.* Anto. *Eam malo, quàm quæ uulgò uenit.*

Vocan

Vocandi alium ad Cœnam.

IOANNES *filius ciuis*, HENRICVS *alibi oriundus.*

COndixistine alicui hodie cœnam? Henr. *Nemini.* Ioan. *Neque aliquis tibi obtulit?* Henr. *Nemo: hercle nemo.* Ioan. *Cœnabis tum domi tuæ?* Henr. *Domi meæ non cœnabo, sed ieiunabo.* Ioan. *Quî fit hoc?* Henr. *Quia nihil mihi est quod edam.* Ioan. *Parentes mei rogant, ut nobiscum cœnam sumas.* Henr. *Vellem te uera loqui.* Ioan. *Fidem mihi habeas.* Henr. *Esto, do fidem.* Ioan. *Eas igitur celerrimè.* Henr. *Vt præcesseris, ita & sequar.* Ioan. *Veni ocyus, mensa est instructa obsoniis.* Henr. *Venio, ac uelox.* Ioan. *Rogo, ad mensam ne quid mali de me loquaris parentibus.* Henr. *Securus esto, delator non sum.* Ioann. *Si quærent parentes an in literis progrediar, quid dices?* Henr. *Asseram te omnibus aliis in literis feruentiorem.* Ioan. *Si secùs dixeris, postremum me amicum habuisti.* Henr. *Ad mensam soleo non garrire, sed stomachũ curare.* Ioan. *Fac edas fortiter, ne uereare ob parentum præsentiam.* Henr. *In mensa frontem perfrico.* Ioann. *Sat uini tibi in calicem largiar, tu uide, ut ebibas.* Henr. *Vinum non moror, si ceruisia in promptu est.* Ioannes. *Nescis, uinum modicè sumptum acuere ingenium?* Henr. *Ingenium meum plus enecat uini potus, quàm excitat.* Ioan. *Bibendo fortè modum excedis. Sed ingredere, ne cœnando moremur parentes.* Henr. *Præcede, ut dignum est.*

De modo studendi.

THYLMANNVS, & MARTINVS.

VBi lates, quòd nusquàm proripis? Martin. *Semper domi ad libros.* Thylm. *Assides continuè libris*

bris? Mar. Assideo vtiq. Thyl. Vide ne quid immodico te affligas studio. Mar. Id minimè timeo. Thyl. Multi qui in studio modum excedunt, tandem desipiunt. Mar. Id præcauebo ne quid desipiam. Thyl. Vigilandum est tibi prouidè. Mar. Non tantum me macero literis. Thyl. Amentia illa etiam quandoque oritur ex tenui victu. Mar. Non est mihi victus parcus. Thyl. Assiduitatem tuam in literis laudo. Mar. Nunc naso me suspendis. Thyl. Moriar si non ex animo loquor. Mar. Concedo. Thyl. Is primus in studio est modus, ut quis laboret, quò in dies alios assequatur scientia. Mar. Id ego conor sedulò. Thyl. Pudendum est, dum scientia ab alio vincimur. Mar. Nusquam Pol, est maior habendus pudor. Thyl. Multos tamen nihil pudet esse indoctos. Mar. Horum est salus desperanda. Thyl. Sed quis tibi studendi est modus? Mar. In dies aliquid addisco. Thyl. Id si per annum feceris, non parum coacernabis scientiæ. Mar. Istud exitus ostendet anni. Thyl. Vide, ne ante anni egressum tepescas. Mar. Istud Dij auertant, quòd deferuescam discendo. Thyl. Accidit plerunq; initio calescentibus, vt in dies frigidius laborent.

De Epistola conficienda.

LEO, & NICOLAVS.

VT sic sedes labia mordens? Nicolaus. Epistolam vulgarem verto Latinè. Leo. Opúsne est tibi tanto in epistola conficienda? Nicolaus. Est, et quidem perdifficili. Leo. Ego dicto citius epistolam in Latinum commuto. Nicolaus. Credo, sed admodum impolitè. Leo. Non curo an politè, vel inepte fit. Nicolaus. Cur id parui pendis? Leo. Quia præceptor adhibet limam. Nicolaus. Tamen puderet

me alios audire tam inelegantem meam epistolam. Leo. In isto perfricui frontem. Nico. Hui, quid loqueris? non pudet te inscitiæ? Leo. Non pudet me istius, quod etiam doctis usu uenit. Nico. Quid istud est? Leo. Quòd eorum emendantur scripta. Nico. Vtcunq; sit, dedecus est lapsum esse. Leo. Cudis tu epistolam ubiq; politam? Nico. Id certè si non facio, laboro tamen pro uiribus. Leo. Est id satis, pro uiribus laborasse, dum nihil exit egregij? Nico. Ita, quia in magnis (ut aiunt) uoluisse sat est. Leo. Posthac in epistola diligentior etiam ero. Nico. Id faxit Deus. Leo. Si lubet, certemus, quis in epistola scribenda excellat, uel facundior sit. Nico. Assumo prouinciam. Leo. Ego glaciem sceabo. Nico. Quid hoc prouerbij est? Leo. Adagium est, significans primum rem aliquam experiri. Nico. Et ego te sequar, literisq; meis tibi obstrepam.

De repetenda Lectione.

GOSVINVS, & MATTHAEVS.

QVid à cœna tibi domi est negotij? Matt. Appetit id scire Gosuinus. Appeto oppidò, ideo sciscitor. Matt. Arrige aures, tollite celabo. Gosuin. Arrigo sedulò, effare. Matt. Cibo recondito expatior, uel colloquor parentibus pauculis. Gosuinus. Quid istis colloqueris? Matt. Varia sunt uerba, & præcipuè si quæ iucunda per diem didici. Gosuin. Vt audio, tu parentes doces uesperi, quod ipse per diem didicisti. Matth. Non doceo eos, sed dicto aliquo lepido eos delecto. Gosuinus. Transigis totam uesperam istis colloquiis? Matthæus. Non, sed semi fortasse hora. Gosuinus. Quid operis deinde tibi sumis? Matthæus. Per diem in ludo literario audita rumino. Gosuinus. Quo id

facis

facis modo, cùm solus sis? Matth. Perlego subinde: ubi ignoro, sciscitor altero mane à peritiore. Gos. Vellesne repetendo te Thesaurum habere? Matt. Mallem, si consequi possem. Gos. Quid si me comitem susciperes? Mat. Arrideret mihi. Gos. Si hospitio parentes tui me uellent immunem habere? Matt. Nihil libentius facerent, mei gratia. Gos. O quàm feruidè lectiones repetere uelimus. Matt. Certè manibus & pedibus discere uelimus. Gos. Certaremus ante cubitum, quis eo die didicisset uberius. Matt. Hic ego semper tibi cederem. Gos. Quisque laborare deberet ut uinceret. Matt. Vtique, nam uinci turpissimum est, in literis præcipuè.

De Corycæi metu auscultantis eos qui non Romano vtuntur sermone.

ERASMVS, & VDALRICVS.

HEm, qui sic loquêris? Vdal. Vt loquor? Erasm. Est ne hic sermo habendus? Vdal. Cur non? ita mater me instituit. Erasm. Nostine, nobis indicta esse uerba, quæ à matre didicimus? Vdal. Quibus tum utemur? Erasm. Latinis uel Romanis. Vdal. Quis ita sanciuit? Erasm. Præceptor constituit Corycæos in eos, qui non Latinè sonant. Vdal. Quid facient illi, qui Latini sunt expertes? Eras. Hi aut silebũt, aut ut possunt Latina proferent. Vdal. Sed quid iuuat malè Latina fari? Erasm. Qui loquendo delirat, ab eruditione debet instrui. Vdal. Id æquum est. Eras. Timeo mihi malè à clancularío illo Corycæo. Vd. Ego autem manum non uertero. Eras. Ipse oppidò timeo, quia ferulæ podicem subdere oportet. Vd. Cutis mea ad ferulam occalluit. Eras. Aliud certè diceres, si ad ferulam tibi res rediret. Vdal. Quid tum,

quando corrigor, dentes comprimo, quòd ictus non sentio. Erasm. Ego conabor ut caligæ meæ ligulis sint constrictæ diploidi. Vdal. Non solet præceptor ligulas cultro soluere? Erasm. Nondum uisum est mihi. Vdal. Sed mihi sæpiusculè contigit. Eras. Fortassis iste præceptor tuus fuit plagosus. Vdal. Imò sæuior Orbilio.

De Somno plus æquo extenso.

VINANDVS, & SEBASTIANVS.

HVi nos miseros, quid faciemus nunc? Sebas. Quid sic eiulas? Vin. Quidni eiularem? surgendi hora præteriit. Sebast. Quam horam putas? Vin. Sextam, qua schola inuisenda est. Seba. Sis bono animo, ea nondum sonuit. Vin. Sonuit certè diu. Seb. Id mihi non persuadebis. Vin. Si scholam accesserimus, tum ferulam nanciscemur. Sebast. Semel nobis indulgebit præceptor. Vinan. Indulsit mihi heri, dicens se ultrà non condonaturum. Seb. Nondum mihi condonauit plagam, ideo iam liber ero. Vin. Pete igitur tu scholam. Sebast. Non es congressurus? Vin. Non, sed tu emanendi mihi copiam flagita. Sebast. Quid causæ asseram? Vina. Dic me matri negotium facessere. Sebast. Timeo ne postea mater ambos apud præceptorem mendacij accuset. Vin. Id ne metuas, in me sumam si quid irata fuerit. Seb. Bene, tu lues, ego minimè. Vin. Periculum faciam. Sebast. Iacias aleam, mea nihil refert. Vin. Tu abi, nam appetit septima hora. Sebast. Abeo, tu in medium dormias diem. Vin. Non hercle, pauxillum audhuc quiescam, mox inde erumpam. Seb. Ego hinc discedo, tu pigritiam edormias: sed uide ne cum periculo. Vin. Ferulæ ictum non timeo, uulnera non infligit.

De

De morbo Socordiæ, quem scholasticis abscribunt.

VALTERVS, & PETRVS.

SAlue tu Epimenides, cur tam diu Gymnasio non interfuisti? Petr. Morbus obstitit. Valt. Morbus! cuius farinæ fuit? Petr. Dolor nempe capitis & uentris. Val. Coniicio facilè quid ægritudinis fuerit. Petr. Quî hoc agnoscis? an ex facie mea? Valter. Non, quia medicam artem non calleo. Petr. Vnde aliâs percipis? Valter. Diuino. Petr. Potes diuinare, amâbo dic, quam putas fuisse mihi infirmitatem? Valter. Eam quam adscribunt scholasticis, scilicet desidiam. Petr. Minimè, toto cœlo aberras. Valter. Ne inficias iueris, per Herculem is fuit morbus. Petr. Peream si ille fuerit. Valter. Esto, sed isto morbo plerunque succumbunt scholastici, dum à ludo absunt. Petr. Assentio, sed istius cohortis ego non sum. Valt. Ah, quasi te intus & in cute non noscerem. Petr. Si talem me æstimas, nondum à uertice ad pedes me nouisti. Valter. Dum me hic occupat morbus, dico matri, me ex intestinorum dolore laborare. Petr. Adhibet tum fidem tuis dictis? Valter. Ilico, & mollem collocat lectum, ouorumque sorbitiuncula lauta me reficiens. Petr. Si talem haberem matrem, sæpe me ægrum simularem, ut sorbitiuncula potirer & lautis bolis. Valt. Ego nonnunquam totus sanus assero me infirmum, dum opipari aliquid meum palatum suspirat. Petr. Mater mea citius fustem, quàm talia mihi præberet. Valt. Per Pollucem miror cur scholastici plus aliis socordiæ sint obnoxij. Pet. In promptu causa est, quia à labore feriantur, eumque fugiunt & execrantur omnes.

De metu Ferulæ.

CORNELIVS, & CHRISTIANVS.

QVò tu abis? Christ. Gymnasium literarium uersus. Cor. Istuc tibi non congrediar. Chri. Quid te remoratur uel detinet? Corn. Quia (ut nosti) lectionibus diu non interfui. Christ. Emaneres ideò. Corn. Ita, quia malè mihi metuò à ferula. Christ. Non est tibi quid commenti, quo te excuses? Corn. Veri nihil habeo quod afferam. Christ. Vera ubi desunt, falsis utere, quò plagas effugias. Cor. Rogabo fortassis matrem, ut præceptorem mihi reconciliet. Chri. Id age, & illico redeas. Corn. Vereor tamen matrem petere, quia latet eam illa mea à schola absentia. Chri. Fugit id matrem tuam? ubi locorum tum egisti? Corn. Cum nonnullis commilitonibus aues captatum. Christ. Proh, quid audio? es tu auium captator? Cor. Non sum, sed captionis spectator. Chri. Iuxtà carpendus ut captator es. Cor. Nunc quid faciam consulis, quò ferulam euadam? Christ. Certè consilio uaco. Corn. Scio quid faciam. Christ. Quid fac audiam. Corn. Præceptoris ferulam subibo, ne parentum fustes recipiam. Chri. Id si feceris, prudenter ages. Cor. Præstat molles ferulæ plagas sustinere, quàm fustium graues morsus. Chri. Istud te sapere arguit, & pituitæ (ut uulgò fertur) non esse obnoxium. Cor. Corneæ fibræ homo esset, qui non acrem ferulam, quàm uirides fustes ferre mellet, si quid commeruisset.

De excusatione absentiæ à ludo literario.

LAVRENVIVS, & CRATO.

QVi fiat, nescio, hodie totus à schola abhorreo. Cra. Ego quoque. Laur. O si liceret iam à libris & lectione nos feriari. Crato. Id perquàm uellem. Laur.

Peric

Periculum faciemus apud præceptorem de impetranda nouatione. Cra. *Aegrè impetrabitur otiandi facultas, nam multi fuerunt dies celebres.* Lau. *Dicemus posthac nos fore feruentiores in literario labore.* Cra. *Istud uerbum apud eum nihil habebit loci.* Lau. *Vnde hoc nostis* Cra. *Quia illo uerbo sæpe usi sumus, neq; unquam facto æquatimus.* Lau. *Pollicemur nunc, cum periculo cutis.* Cra. *Arridet mihi, si & aliis.* Lau. *Sed si ludendi copiam nobis non concedat præceptor, ipse mihi feriæ faciam.* Cra. *Vide si feceris, ne malè cadat.* Lau. *Quomodo malè caderet?* Cra. *Quia cras ferulam senties.* Lau. *Ibi consilij sum plenus.* Cra. *Fac & nos participes si quid boni consilij nosti.* Lau. *Præceptorem adeo uel ipse, uel per nuntium, & domi meæ detineri dico negotio aliquo.* Cra. *Faciemus & id nos quoque tunc, tum unà expatiabimur.* Lau. *Sancimus inter nos fœdus, ut in scholis unus alterius asserat uerbum.* Cra. *Placet, sed pœna dicatur in eum, qui tesseram fregerit.* Lau. *Pœna sit, quòd è nostro eliminetur consortio.* Cra. *Ratum sit & sanctum quod loqueris.*

Quare Schola dicatur Ludus.

EBERARDVS, & THEODORICVS.

QVorundam uerbis aliquando percepi, scholam dici ludum, audistine & tu? Theo. *Audiui sæpiusculè.* Eber. *Quid tum censes? estimas uerum esse?* Theo. *Neutiquam certè.* Eber. *Neq; ego, cùm in ea non ludatur, sed percutiatur.* Theo. *Tuæ accedo sententiæ.* Eber. *Fortassis præceptori est ludus, qui ad nutum nos miseros ferit.* Theo. *Istud ludere Eumenides ferant.* Eber. *Herculè scholam potius pistrinum quàm ludum dixerim.* Theo. *Verius istud nominis ipsi conueniret Gymnasio.*

Eber. Sed age, dic causam, cur credis scholam dictam esse ludum? Theo. Eloquar, quantum ab aliis didici. Eber. Ero auditor sedulus. Theo. Vt lusor suo Theseo saepe secuta praebet, ita praeceptor animo amico tanquam ludenda docebit discipulos. Eber. Hoc certè perpauci scholae praefecti faciunt. Theo. Nosco cuius expertus. Eber. O quàm lubens scholas inuiserem, si blandiens esset praeceptor! Theo. Oportet blandiri diligenti, non desiat ex Endymioni, ut tibi. Eber. Miror an plus prodesset discipulis benignitas, uel seueritas praeceptoris. Theo. Istud non miror, uel hercle nescis libentius nos sequi blandientem quàm minantem. Eber. Habuistine unquàm ludimagistrum, qui ludentis speciem instruendo exhibuit? Theo. Habui, & quidem primo studij mei tempore. Eber. Studebas sub istius ferula apprime diligenter? Theo. Conatum quem potui discendo adhibui, ut solent elementares pueri, si laudati fuerint, & non ad acres tractati uirgas. Eber. Mirum est, si studio incaluisti: licentia tamen & blanditiis solemus fieri deteriores, ut Terentius inquit. Theo. Nihil sceleris nobis permisit praeceptor, sed in discendo nostros conatus laude extulit.

De die qua otiatur à lectione.

IOANNES ET VDALRICVS.

OSimus hilares, sodales charissimi. Vdal. Vt sic gestis? Ioan. Non gestirem hodie, cum à prandio sit nobis otiandum à lectionibus? Vdal. Illud & ipsi scimus. Ioan. Hanc diem feliciorem omnibus aliis iudico. Vdal. Et nos non parum delectat. Ioan. Belle post meridiem sol lucebit. Vdal. Ita diuina praedixit. Ioan. Prandij igitur peracta fabula, si omnibus est cordi, unà ruticabimur. Vdal. Cui id displiceret? Ioan. Vel si nobis uisum

uisum fuerit, in pomœrio ludemus. Vdal. *Parum interierit, quo nos recreemus loco, saltem in schola non desideremus.* Ioan. *At adhuc incerti sumus, an à lectione uacabimus.* Vdal. *Isto nihil est certius.* Ioan. *Si facultas diuagandi nobis dabitur, quid agemus scio.* Vdal. *Exprime.* Ioan. *Arcum in rus mecum feram in columbas tela emissurus.* Vdal. *Si uelint sagittam tuam morari.* Ioan. *Nonnunquàm uolando ipsas enecaui.* Vdal. *Hoc contigit perquàm raró.* Ioan. *Quicquid auium consecutus fuero, commune erit.* Vdal. *Age tum conuiuabimur.* Ioan. *Vbi? An in platea ouium, ubi solemus potitare à ludo?* Vdal. *Ibidem torrebimus aues à te enectas.* Ioan. *Sed à symbolo per aues ego immunis ero.* Vdal. *Quicquid biberimus, nos pendemus, tu non teruntium dabis.* Ioan. *Sin nihil prædæ & spolij sagittæ à me emissæ attulerint, de impendio compotatiunculæ quid fiet?* Vdal. *Compotatiuncula nulla inter nos agetur.* Ioan. *Dedeceret à deambulando siccis palatis nos digredi.* Vdal. *Id laudabilius, quàm si madentes potu, nutanti gressu domum parentum repeteremus.*

De Aestate.

HERMANNVS, & GYSBERTVS.

PLacétne tibi mihi congredi rusticatum? Gys. *Rusticari nondum cupio.* Her. *Ego autem anhelo maximè, quia æstatis amœnitas aduenit.* Gys. *Est tibi æstas? mihi hybernaculum adhuc immoratur.* Her. *Hui, non pudet te hybernaculo nunc insidere temporis?* Gys. *Minimè, cùm acre sit frigus.* Her. *Rus hinc abeo, uisum quo modo campi floreant.* Gys. *Abi, me comitem non habebis.* Her. *Aliquo tamen dierum, quo tibi integrum erit, rus unà inuisemus.* Gys. *Si uacauerit, non renuam.* Her.

Eundem in campum mihi est latum frondes redolentes. Gysb. Tales uix ortas reperias. Her. Inueniam complures, nam diu floruerunt. Gysb. Deferésne eas deinde uenum clamando per plateas, Hic frondes redolentes? Her. Aestimas talia me agere? Gysb. Quò alias feras ipsas? Her. Domum uersus, ut ibi nobis redoleant. Gysb. Hoc negotij quis tibi dedit? Her. Mater. Gysb. Tum uade, ocyus exequere. Her. Satis temporis ad uesperam restat. Gysb. Audin tu hac æstate quid ages, dum nimius fuerit æstus? Her. Domi me in umbra continebo. Gysb. Inamœnum est domi latitare aëre calido & blandienti. Her. Non inficias eo. Gysb. Cur tum sub tecto domi tempus teris? Her. Oportet per parentes. Gysb. Plus æquo curiosi & molesti sunt parentes, qui te eo tempore domi coërcent, ut nusquàm proripias. Her. Mei commodi sunt soliciti. Gysb. Istud domi desidere, quid conferre tibi potest? Her. Non parum prodest. Gysb. Explica. Her. Domi cochleæ agendo uitam, calceos non detero, neq; à sole exuror, ut fuscus fiam. Gysb. Per Herculem istud multùm accommodat.

De Autumno.

IASPERVS, & IACOBVS.

ADest rursus tempus istud pestiferum, & hyemem reducens. Iac. Quod tempus putas? Iasp. Autumnale, cuius hodie primus est dies, festum sancti Bartholomæi. Iac. Vocas tu istud tempus pestiferum? Iasp. Voco, quia nunquàm magis quàm hoc tempore, morbo succumbunt homines. Iac. Si uerum fateri uis, nullo non tempore totius anni laboratur doloribus corporis. Iasp. Præcipuè tamen Autumni diebus. Iac. Nescio, laus superis, ego nunquàm infirmitatem sensi in Autumno. Iasp.

Præter istud incommodum, & frugem tamen aliquam secum affert. Iac. In quo est frugifer? Iasp. Quia uinum profert. Iac. In hoc certè laudem meretur. Iasp. Alia quoq; commoda habet. Iac. Quæ nam? dic Iasp. Abigit pulices suo frigore, qui nos nocte in æstate uerminarunt. Iac. Certè non omnibus illos depellit. Iasp. Qui sentiunt pulices in Autumno? Iac. Vetulæ mulieres semper sub uestibus quæritant eos. Iasp. Apud illas perpetuum habent hospitium. Iac. Adde & pediculi. Iasp. Autumnus etiam nucum adducit messem. Iac. Istas non admodum moror. Iasp. Narra quid causæ fiet? Iac. Quia adimunt uocis synceritatem. Iasp. Eam restituit aqua pura & calida. Iac. Sed à cibo abhorreo, qui me aquam potare cogit. Iasp. Supra communem hominum sortem sapis. Iac. Nunc me naso suspendis. Iasp. Non, quia homines sæpe aliqua edunt, etiam unde perniciem sunt accepturi, istud tu fugiturum te dicis.

De Hyeme.

VILHELMVS, & GEORGIVS.

AH, ah, quantum frigeo. Ge. Friges nunc temporis? Vil. Nonne & tu frigore premeris? Ge. Non, sed totus caleo. Vil. Præstantius me uestitus es. Geor. Id sanè parum est, sed crepidæ me calere faciunt. Vil. Facilè frigus pellit, cui crepidæ sunt & chirothecæ subductæ pellibus. Geor. Oportet & corpus multis operiri indumentis. Vil. Quid faciam nescio, malè ad hyemem instructus sum. Ge. Qui hoc fit? Vil. Indumenti mihi nihil est, nisi quàm conspicis. Ge. Verè non bene tibi cum hyeme conueniet. Vil. Si in patria agerem, in cœlo essem. Ge. Quare? Vil. Dum ibidem essem, hyemem non sensi. Ge. Non tum scholam inuisisti? Vilhel. Aestate quidem, sed

hyeme

hyeme post fornacem latui. Geo. Quid egisti? torrebas ne poma in fornace? Vil. Vtiq; & pyra quandoque. Ge. Mirum quòd parentes tibi indulserunt. Vil. Lubentissimè, sed istam non habebo hîc lautitiam. Ge. Vereor quòd non. Vil. Ah, quantum mihi ferendum erit uice delicia rum, quas in patria habui. Georg. Tibi ipsi es uater. Vil. Dabit Deus his quoque finem. Geo. Sed sertius fora tassis quàm uelles. Vil. Et hæc olim (ut inquit Poëta) me minisse iuuabit. Geor. Mehercle dulcius nihil est, quàm actorum recordari laborum, quos superauimus. Vilh. Multos tamen quandoque uidi (ut s. Aeneidos de Aenea scribit Vergilius) qui lachrymando habitam miseriam re censuerunt. Geor. Stulti homines qui uictam calamita tem lachrymis prosequuntur.

De Vere.

GERHARDVS, & BRVNO.

VNde tanta fluuiorum copia? Bru. Nix altis in mon tibus liquitur. Ge. Fortassis. Bru. Sic est. Ger. Tempus expetit, quid Ver adest. Bru. Non adesset Ver, cùm simus in martio mense? Gerh. Nunc agricolæ re deunt ad agros colendos. Bruno. Labor etiam rursus in cambit equis. Ge. Satis per hyemem quieuerunt. Bru. Inertiam ipsis aratrum expellet. Ger. Fuistine hisce die burin pomœriis? Bru. Istic nihil est quod agam. Ger. At fortassis uiolas quæsisses. Bru. Non sum uiolarum, sed librorum amator. Gerh. Putabam uiolas à ruslicis egestas. Bru. Hæ tuo naso & ori conueniunt. Gerh. Bona uerba, quæso. Bru. Vt loqueris, ita & responsum accipis. Ger. Fateor, meo ipsius gladio cado. Bru. In cidisti in foueam quam feci sti. Ger. Post aliquot dies re dolebunt pomœria uiolis. Bru. Post multos, non paucos certè

certè. Ger. In dies iam è terra erumpunt. Bru. Vidistin' aliquas? Ger. Vidi complusculas. Bru. Ego hoc Vere nullam. Ger. Si quas reperiam, ad te feram. Bru. Id facito, si te non grauabit. Ger. Non me degrauat obsequium amico exhibendum. Bru. Facilè amicos tibi parabis (teste Comico) si obsequiis conferendis aliis delectaris. Ger. Inseruire amicis mihi delicium est. Bru. Id hominem decet (ut alius inquit Comicus) ut homine alteri Deus sit, id est, præstet auxilium & commodum.

In festo sancti Galli.

NICOLAVS, & VINANDVS.

APpetit nunc dies sancti Galli, quo scholastici delectari solent. Vin. Ego certè ipsius aduentu nunc doleo. Nico. Solebas tamen plus aliis gaudere ob diem istum. Vin. Fateor, sed nunc secus mecum agitur. Nic. Amábo dic, quis tibi est scrupulus? Vin. Facilis est, & tamen plurimum me malè habet. Nicol. Fortassis caussam probè augurarer. Vin. Si coniectura consequi potes, dicam. Nico. Periculi coniiciendi faciam. Vinan. Age, audiam. Nicol. Non licet tibi prosternationi galli adesse. Vin. Herculè rem acu tetigisti. Nic. Sed cedo, quid impedimenti erit? Vinan. Mater æs mihi largiri recusat. Nic. Sis animi præsentis, isti rei facilè medebor. Vin. Qui mihi succurres? Nicol. Mutuum tibi solidum æris dabo. Vi. Si feceris, non diu carebis ipso. Nic. Est'ne tibi animus laborare ut tu gallum eneces, & (ut aiunt) rex efficiaris? Vin. Istud honoris non cupio, ubi nihil est lucri. Nic. Vellem me posse ipsius cædem peragere. Vin. Vino te donabo, si ipsi mortem intuleris. Nic. Omne mouebo saxum, quo ipsum acerbius aliis tangam.

Vin.

Vin. Spectator ero. Nic. Sed interim non obliuiscaris uini mihi modò promissi. Vin. Do fidem me præstiturum promissa. Nic. Ego si gallum interfecero, lautum exhibebo uobis conuiuium. Vin. Quid à te immune accipiemus? Nic. Duos gollos gallinaceos ad ueru coctos, & uini mensuras quatuor. Vin. Sat erit. Nic. Spero quòd aliquid uini mihi donabitur, tum minus impendij faciam.

De festo sancti Lamberti.

PAVLVS, & THOMAS.

RVrsus matrem iratam reddam. Tho. Quo ipsam offendes? Pau. Rogitando pecuniam. Tho. Pecunia quid eges, cum uictum habeas? Pau. Aliis egeo quam uictu. Tho. An non, quibus indiges, præbent tibi parentes? Pau. Quid nis? Tho. Cur tum æs expetis? Paul. Ludimagistro ut manus farciam. Tho. Cuius rei gratia? Paul. Lamberti feriæ expostulant. Tho. Ecce nisi dixisses, oblitus fuissem. Paul. Nunquid & tu modico ære ipsum donabis? Tho. Quod moris est, ipse non intermittam. Pau. Solet fieri, sed ignoro an merito. Tho. Fortè præmij loco est? Paul. Pretium seorsum exoluitur. Thom. Quod nunc dandum est, fortè munus æstimat præceptor. Paulus. Id muneris crebrius pendimus. Tho. Nostine, sæpe dandum amicis, ne intereat gratia? Paul. Præceptor munere isto non amicus, sed inimicus redditur. Tho. Exploratum unde habes? Pau. Scio aliquos qui plus cæteris ipsi conferunt munuscula, & illos acerbius corrigit, & in eos animaduertit. Thomas. Quos sæuius tractat, illos præ aliis diligit. Paul. Istud diligere Eumenides ferant. Tho. Cessa imprecari præceptori. Paul. Quid tu ipsi dabis? ego solido eum exhilarabo. Tho. Numum præstares (quem indocti albũ uocant)

tu

tu opulentus es, ego obolum unum aut alterum dabo.

De eligendo Episcopo.

IASPAR, & MELCHIOR.

INtererisne die lunæ Gymnasio literario? Melc. Sic credo. Iasp. Cui tuam dabis uocem? Melc. Quid hoc est uocem dare? Iasp. Id est, quem eliges in episcopum? Melc. Inconcinna est locutio. Iasp. Dic tu uenustiorem. Melc. Cui tuum dabis suffragium? Iasp. Poterisne & alio pacto eloqui? Melc. Possum, In cuius personam eligendam tu consenties? Iasp. Memoriæ istas recondam orationes. Ego suffragabor tibi. Melc. Ne facito. Iasp. Cur istum non desiderat magistratum? Melc. Non, quia frugis nihil afferet. Iasp. Satis præmij mihi esset honor iste. Melc. Ipse honoris istius auidus non sum. Iasp. At pulchrum est dici episcopus. Melc. Verum, sed miserum est censum non expectare. Iasp. Si episcopus fierem, sperarem adhuc me in magnum euasurum uirum. Melc. Vnde istud sperares? Iasp. Ex moribus Gentilium. Melc. Quos isti habuerunt mores? Iasp. Ab his, quæ in iuuentute alicui acciderunt, sumpserunt futuræ fortunæ conditionem. Melc. Fiebant etiam quandoque uoti compotes: uel semper fæustrabantur spe. Iasp. Quidni? sæpissime. Melc. Exemplum unum eloquere. Iaspar. Platoni in cunis dormienti, apes in os mel ingesserunt, ex quo aruspices eum fore uirum facundum dixerunt, quod sic factum est. Melc. Mirum quod audio, sed haud & ægre credibile est.

De eligendo Rege.

HENRICVS, & IACOBVS.

HOdierno uesperi ubi tui cœnabunt parentes? Iaco. Vbi alias, nisi domi nostræ? Hen. Non aliquo

sunt

sunt uocati conuiuæ? Iaco. *Quò hodie inuitati essent?* Henr. *Ad amicorum lances.* Iaco. *Foris cœnare eos puderet hoc die.* Henr. *Apud honestos conuiuam agere non est pudendum.* Iaco. *Fateor.* Henr. *Cur tum dicis quòd eos puderet?* Iaco. *Quia non solent hanc uesperam solennem foris peragere.* Henr. *Quì fiat cedo?* Iaco. *Nobiscum frontem domi exporrigunt.* Henric. *Ecquid uoluptatis domi habetis?* Iaco. *Multum certè.* Henr. *Fortassis regem inter uos decernitis.* Iaco. *Id ipsum facimus scilicet.* Henr. *Delectúne, an sorte?* Iaco. *Chartulis pileo impositis.* Henr. *Sûntne omnes inscriptæ literis?* Iaco. *Sunt, & quidem nominibus magistratuum.* Henr. *Adest etiam reginæ scriptus titulus?* Iaco. *Est, sed uel matri, uel ancillis uendicantur.* Henr. *Fortuna quem regem fecerit, quid pendet?* Iaco. *Hodierno uesperi à sumptu est immunis.* Henr. *Immunis? quis tum uini exoluit cyathos?* Iaco. *Potu omni nos alij regem donamus, sed ipse alio tempore suo ære geniale parat nobis conuiuium & regium.*

De festo Natalis Christi.

GEORGIVS, & GYSBERTVS.

EGo nunquàm toto anno plus gaudeo, quàm nunc temporis. Gysb. *Ego uerò nunquàm magis doleo.* Geor. *Doles tu tempore adeò lætos?* Gysb. *Non dolerem in tanto frigore?* Geor. *Ipse totus lætor, ob festorum dierum aduentum & copiam.* Gysb. *Quid feriæ tibi commodant?* Georg. *Otiabimur à lectionibus abundè.* Gysb. *Quot dies?* Geor. *Fermè quatuordecim.* Gysb. *Quando incipient istæ uacationes nostræ?* Georg. *A pridiano Thomæ, & ad alterum Circuncisionis diem durant.* Gysb. *Et interim non uisimus scholam?* Geor.

Acce

Accedimus quandoque, sed solum cantatum. Gys. *Quæ cantabimus?* Georg. *Reddenda istis sacris diebus in templo.* Gys. *Istos cantus noui abhinc biennio.* Georg. *Anni curriculo mihi excidérunt memoria.* Gys. *Oportet ut sterilissima sit tibi memoria.* Georg. *Talia mihi curæ non sunt, diligentius lusus quàm ista cogito.* Gys. *Scholasticum id dedecet.* Georg. *Canenda his diebus habéſne scripta?* Gys. *Habeo, & cum musicis concentibus.* Georgius. *Exscribenda mihi ipsa accommodes.* Gysbertus. *Libentissimè.* Georg. *Plurimum lætor, quòd nunc temporis adeò mitis est aër, & non acerbum frigus.* Gysbertus. *Et ego gaudeò, aliâs in matutinis precibus frigore perirem.* Georg. *In lecto me continerem, si frigus sæuiret.* Gys. *Ah, propter nouum Regem natum nihil uelis pati?* Georg. *Durum est à tepido nido discedere.*

De tempore Bacchanali.

MICHAEL, & VILHELMVS.

QVot hebdomadæ nunc interſunt, inter ferias Natales Christianas & Quadragesimam? Vil. *Opinor nouem.* Mi. *Hui tot?* Vil. *Ita relatu aliorum accepi.* Mi. *Cuius uerbis habes?* Vil. *Viri cuiusdam apprimè docti.* Mi. *Tum longum erit carnisprium.* Vil. *Tace, obsecro, uerbum istud barbarum.* Mi. *Carnisprium non est uerbum uenustum & Latinum?* Vil. *Minimè, sed maximè impolitum.* Mi. *Dic politiorem dictionem aliquam.* Vilhel. *Tempus Bacchanale.* Mi. *Cur ita appellas tempus hoc?* Vilhel. *Quia olim in sacrificiis Bacchi insaniebant ita, ut hoc tempore furiunt.* Michael. *Insaniebant, sacrificando Baccho Deo Gentiles?* Vil. *Viuebant in omni luxu & dementia.* Mic. *Est ne*

C *tibi*

tibi aliud uerbum quo hoc tempus appelles? Vilhel. Festum uel tempus Lupercale etiam potest dici. Mic. Quid noui uerbi affers? Vilhel. Nouum non est, sed à ueteribus historicis proditum. Mic. A' quibus? Vilhel. A' Valerio Maximo. Mic. Cur illud nomen huic tributi tempori? Vilhel. Ob morem Gentilium. Mic. Quis is erat mos? Vilhel. Pastores pecorum currebant hoc tempore nudi, habentes pelles in manibus in honorem Pan panni nos Dei pastorum. Mic. In quod commodum isti sacrificabant? Vilhel. Credebant quòd ab omnibus pelleret lupos: hinc uocatum est tempus Lupercale. Mic. Fiebant etiam uoti compotes? Vilhel. Ignoro, nam tunc temporis uitam non egi.

De Quadragesima.

SEVERINVS, & PHILIPPVS.

PHil. Certa non semper uana sunt fabulæ. Certè me tudice parum habent ueri. Seue. Habent mea sententia sæpe nihil præter ueritatem. Phil. Probes id, alioqui fidem tibi non habeo. Seue. De Fortuna fabulantur, quod rotæ instar. Phil. Notum habui diu. Seue. Istud ueracissime dicunt. Phil. Fac mihi persuadeas. Seue. Hactenus per aliquot dies curauimus cutem delicatissimè. Phil. Prætereà quid? Seue. Et nunc instat tempus quo corpus rursus macerabimus. Phil. Aestimas fortè ieiunij tormentum. Seue. Puto istud, nam carnes prohibetur, quæ solæ pascunt corpus. Phil. Etiam pisces multos saginant. Seue. Neruos adeò non roborant, ut caro. Phil. Imò uideas nonnullos pinguiores ex piscibus, quàm alios è carnibus. Seue. Qui isti sunt? Phil. Monachi in cœnobiis, ubi Pythagoricè mensa instituitur. Seue. Crassa illorum capita & uentres obesi certè è piscibus non fiunt, uel exurgunt.

gunt. Philippus. Fortè extra limen monasteriorum ue-
scuntur crudis carnibus. Seuerinus. Scio, & uidi, non
solùm credo. Philippus. Et mihi uisum est creberrime.
Seuer. In hisce septem hebdomadibus esurialibus quo
uescêris cibo? Philipp. Pisis & pyris in fornace tostis.
Seuer. Ficubus istis, qui rusticis mel sapiunt? Philip.
Ita, illos ad panem edo cum nucibus.

De festo Paschatis.

PETRVS, & MATTHAEVS.

APpetit nunc tempus, quo nullum toto anno est cru-
delius. Matthæ. Quod illud est adeò impium?
Petr. Paschatis puto dies. Matt. Sunt isti tibi immanes
& impij? Pet. Vtiq; nam magna solet fieri cædes. Mat.
Habetur tum semper bellum hoc tempore? Petr. Nescis
istud? Mat. Ignoro. Pet. Nosti Thuringiam regionem
Germaniæ Orientalis? Matt. Nosco, ubi urbs Erphurdia
est excellentior. Pet. Ibidem duo sunt loci: unus ab Hale-
ce, alter à Vitulo nomen sortitus. Matt. Et quid postea?
Pet. Inter hos circa Paschа ingens bellum oritur. Mat.
Etiam annuos? Pet. Imò quotannis duabus uicibus. Mat.
Tempore dic quo? Pet. Circa Quadragesimæ auspicium,
& ferias paschales. Matt. Cuius loci incolæ euadunt ui-
ctores? Pet. Cum exorditur esuriale tempus, illi de Hale-
ce agnominati. Mat. Quare illi? Pe. Quia diebus ieiunij
piscis iste in coquinis & patinis dominatur. Mat. Quando
illi triumphant de prælio, quibus Vitulus agnomen præ-
buit? Pet. Paschatis tempore. Matt. Qui hoc? Pet.
Nam sequentibus diebus uictitatur carnibus. Matt. Le-
pidum addito iocum. Petrus. Hoc quondam Erphurdiæ
agens, nugari audiui. Matth. Satis festiuum dicterium.

Digitized by Google

De festo Pentecostes.

VINANDVS, & BAPTISTA.

SAbbato proximo pridianus erit dies festi Pentecostes. Bapt. Compertum id habeo. Vinand. Ventri nostro rursus bellum afferet. Bapt. Quale bellum narras? Vinan. Corporis bellum, ieiunium scilicet. Baptist. Pulchrè ieiunium uocas bellum, quia uentri odiosum est. Vinan. Hactenus tranquilla fuit caro nostra. Baptist. Vnde ista tibi tranquillitas quam æstimas? Vinand. Quia à Paschatis die non sensit ieiunij molestiam. Bapt. Corpus meum tum ouis, tum alijs affatim est pastum delicatis bolis. Vinan. Sabbato denuo in pristinum ibimus. Bapt. Facile est unum diem abstinentiæ peragere. Vina. Ipso die Pentecostes accedes sacram Synaxim. Baptist. Liceriùs sum. Vinan. Qui sic? ego me accingam, quo gratiam Spiritus sancti acquiram. Bapt. Facerem & id ipse quoque, sed unicum me moratur. Vinand. Istud quidnam est? Bapt. Inuitus confiteor. Vinan. Ego alicubi ignoto mea delicta recenseo, tum plus audeo. Bap. Parabo & me, ut tecum peccata in sacrificuli aurem murmurem. Vinan. His Spiritus sancti ferijs nobis scholastica in primis est scelerum fex eijcienda. Bapt. Verè dicis, ut Spiritus sanctus nos inuisat. Vinan. Si is nobis præsto fuerit, sine sudore discemus. Bapt. O utinam tum mihi adesset. Vinan. Peccata exue, pœnitentiam age, certè te suo donabit munere. Bapt. Emitar pro uiribus. Vin. Sic facias, & literis fies aptior alumnus.

De festo sancti Martini.

HIERONYMVS, & HERMANNVS.

QVotnam dies abhinc absunt feriæ sancti Martini? Herma. Opinor octo. Hier. Quo die peragentur?

tur? Her. In macra die, scilicet Veneris. Hie. Verspera tamen erit ipso die lauta. Her. Erit ni fallor. Hier. O tum adhuc bene nobiscum agetur. Herm. Vnde illud conijcis? Hier. Nam tunc carnibus uescentur homines. Her. Illud nostro stomacho non commodabit. Hie. Imò plurimum proderit. Herm. Efferæ quomodo? Hiero. Quicquid iuscula uel carnis à mensis leuarint, nobis ad fores cantantibus impartient. Her. Ad istud certè ollam mihi parabo. Hie. Si tibi placuerit, inuicem tunc temporis ostiatim canemus. Her. Opidò mihi arridet. Hie. Sed quicquid obsonij, uel erit nobis datum fuerit, commune erit. Her. Conferetur in illius uesperæ nostrum conuiuium. Hie. Sed qua hora egrediemur precatum stipem? Her. Postquàm octaua sonuerit. Hier. Illud temporis plane integrum erit nostræ precationi. Her. Conueniet maximè, nam eo tempore de mensa tolluntur patinæ. Hie. Anno ab hinc proximo tantum accepi alimenti, quo octo uicitabam dies. Herm. O si ea nunc rediret fortuna! Hie. Sperandum est, & Deo confidendum. Her. Quis illius non anhelaret adminiculum? Hie. Multi suum exoptant præsidium, uerùm inseruiunt ipsi iniquè. Her. Hi consequentur gratiam eius ad Græcorum Calendas.

De Xeniis mittendis.

KILIANVS, & THEODORICVS.

PRecor tibi diem candidum. Theod. Talem & tibi opto. Kili. Xenium fac mihi præbeas. The. Hui, tam citò! uix nouus anni dies illuxit. Kil. Hodie uerù est tempus dandi xeniola. Teo. Hodie incipit, sed diu durat. Kili. Fateor, sed tamen qui alteri dare uolunt, non diuturnam moram agunt. Theo. Expecta, quo ad ipsum stru-

xero. Kili. Non opto strenam farinaceam. The. Lautior mihi non est alia. Kili. Sed puderet me amicum mellito muniſculo salutare. Theod. Qui id fit? Kili. Quia timerem ne ab ipso nauſearet. Theo. Vanum meo tuis, ſi bonus eſſet, boni conſuleret. Kil. Verbis fortaſſis, at corde ſperneret. Theo. Is perſonatus amicus eſſet. Kil. Honeſtius eſt panniculum emunctorium largiri uice xenij. Theod. Eſt quidem, ſed tale munus non omnibus in promptu eſt. Kil. De interula aut panni ulna plura conficiuntur. The. Sed ſæpe plurib conſtat conficiendi ſumptus, quàm pannus. Kili. Cultros uidi quandoque inter amicos miſſitari. Theod. Illos ego non mitterem. Kil. Cur? Theo. Quia uulgo dicitur, cultros amicitiam rumpere. Kil. Solide iſti tu accedis dicto? Theo. Non toto tum conſentio. Kili. Attamen nonnihil ipſis fidem præbes. Theod. Facio, ut ſolent hi, qui quicquid audiunt, ex oraculo prolatum putant. Kilian. Es tu illius farinæ homo? Theo. Neſcio. Meipſum non noſco. Kili. Sed ſtrenulam mihi ſic mittas. Theod. Crastultrò tibi conferam, interim ſpe uiuas.

De Pecunia danda in nouæ ſcholæ ingreſſu.

MARTINVS, & NICOLAVS.

FEriabimurne poſt meridiem à lectionibus? Nicol. Non compertum habeo. Mart. Ego ea ſpe ducor. Nic. Vide ne uanam ſpem foueas. Mar. Certus ſum ſpe non fruſtrabor. Nico. Præſtaret fideiuſſorem habere. Mar. Tam ſcio quam nomen meum. Nic. Eloquere qui ſcias. Mart. Eſt mihi adoleſcens domi, qui primùm iam ſcholam inuiſet. Nic. Hoc quid afferet nobis? Mar. Ipſe à præceptore copiam otiandi nobis impetrabit. Nic. Qua arte? Mar. Largiendo ipſi pauxillulum numorum. Ni.

Putas

Putas illud quod introitum vulgò appellitant. Marr. *Istud ipsum uolo.* Nico. *Sat habeo.* Marti. *Verùm, nostin' unde mos ille peruenerit?* Nico. *Audiui nunquàm originem.* Martin. *Dicam huius consuetudinis fontem, si te audire non taeduerit.* Nicol. *Audire gestio.* Martin. *Qui apud artifices mechanicos tyrones sunt, istius artificij classi aliquid pendere coguntur.* Nico. *Vidi quandoque in ipsorum artificum conciliabulo.* Martin. *Isto munusculo fauorem sibi uendicant aliorum.* Nico. *Etiam in ipsorum album referuntur.* Marti. *Non secus & nouus literarum tyro & praeceptorem & nos demeretur.* Nic. *Quo?* Marti. *Praeceptorem pauxillo aeris, nos uerò otio medij dici.*

Non semper esse studendum.

VINCENTIVS, & VILHELMVS.

HEus tu, pauck te uolo. Vil. *Quis me uocat?* Vin. *En, ego te uoco.* Vil. *Quid est quod me uis?* Vin. *Facilis res est.* Vil. *Exprime ocyus.* Vin. *Qui fit quod ita palles?* Vil. *Palleo? id ipse ignoro.* Vin. *Palles non secus ac aegrotares.* Vil. *Sanè nihil sentio doloris, gratia Deo.* Vin. *Vnde tum pallor ille oritur?* Vil. *Color hic mihi est natiuus.* Vin. *Non adeò pallescunt homines à natura.* Vil. *Qui nosti esse medicus?* Vin. *Non, sed coniectura assequor, te chartis nimium addictum.* Vil. *Literis totus transigo otium quod habeo.* Vin. *Si id agis, tibi ipsi obes.* Vil. *Hoc non spero, quòd mihi desim studendo.* Vin. *Prodes fortè animae, sed corpori noces.* Vil. *Malo animae quàm corporis profectum.* Vin. *Bellè dicis, sed corpori debili & animae tandem uis perimitur.* Vil. *Periti istud non asserunt.* Vin. *Quid tum dicunt?* Vil. *Ad tenuem lancem, literas melius imbibi.* Vin. *Concedo, sed tamen oportet*

Digitized by Google

corporis curam non totam omittere. Vil. Neq; hoc facio. Vin. Extremum dementiæ esset, abstimentia immodica suum fraudare genium. Vil. Præstat tamen alimonia animæ quàm corporis. Vin. Eneruatis autem corporis uiribus, fulcimentum animæ & uirtutibus tollitur. Vil. Inficias non eo, cum corpus sit animæ promptuarium.

Quem ludum debeant iuuenes exercere.

ANTONIVS, & LAVRENTIVS.

HVi ludis tu tesseris? Lau. Hoc tua quid refert? Anto. Ludus iste non scholasticorum est. Lau. Quorum tum est? Ant. Nebulonum, helluonum, & histrionum. Lau. Vidi ego complures literarum tyrones hoc uti ludo. Ant. Nihilo fuêre meliores. Lau. An ne peiores eos fuisse censes? Anto. Hercule non solùm peiores, sed & pessimos. Lau. Tu nosti, quia tertius Cato es. Anto. Ride ui lubet, uera loquor. Lau. Nihil ludendum & scholasticis arbitraris? Anto. Ludendum & ipsis quandoq;, sed aliud lusus genus. Lau. Age, qui ludus? Anto. Ludi nempe honesti, & uerecundi. Lau. Qui illi sunt? Anto. Quos olim Cumani suos docuerunt liberos. Lau. Quales isti tradiderunt pueris? Ant. Natare, dimicare, & certare luctando. Lau. Nullos alios? Anto. Nullos quos audiero. Lau. Nunquam charta lusoria, uel talis? Anto. Minimè gentium. Lau. Etiámne inter conuiuia cum amiculos? Anto. Nusquàm locorum. Lau. Nimium sapuerunt. Anto. Si semel & iterum concessissent, malè cecidisset. Lau. Nonnunquàm ludere, ferendum esse. Anto. Audistin' Platonem dicentem, non paruum incommodum esse consuetudinem iniquam? Lau. Consuetudo diutino & frequenti conatu fit, non raro tentando.

De

De Eleemosynis colligendis.

LVDOVICVS, & PANTALEON.

PLacetne tibi mihi congredi? Pant. Quó? Lud. Ignoras? ostiatim petitum decimas nostras. Pant. Decimas quid uocas? Lud. Stipem, quæ nobis pauperibus à diuitibus erogatur. Pant. Est illa nobis uice decimarum? Lud. Vtique est. Pant. Mihi non fit uerisimile. Lud. Pinguis Mineruæ homo es, quòd ista non capis. Pant. Haud capio, rogo apertius mihi dicas. Lud. Obsecranda bòr, tu ausculta. Pant. Aduertam diligenter. Ludo. Nosti agrorum dominos oportere suis, aut parœcianis, aut principibus pendere decimas? Pant. Nosco per parentes meos. Lud. Non secus oportet & diuites illos, de suis bonis pendere nobis stipem. Pant. Certè si oporteret eos, tum nunquàm recusarent. Lud. Dum reluunt, ipsis luditur. Pant. Imò plus luditur nobis, quàm ipsis. Lud. Longè aberras. Pant. Deliro dicis: uenter mihi fame perit. Lud. Diuitum incommodum longè est grauius. Pant. Dic, quod illud est. Lud. Dei incidunt iram, quòd pietatis non sunt cultores. Pant. Istud non æstimant. Lud. Sed olim ante iudicem Deum acerbè sentient. Pant. Interim indiciis fruuntur? Lud. Miseræ induciæ sunt, quas certum sequitur tormentum. Pant. Solatium tamen est dilatione frui, etiam momentanea.

De Ludo Pilæ.

GYSBERTVS, & PETRVS.

VT sic desidetis? surgite pigerrimi. Pet. Quid consimur? Gysb. Colludemus nonnihil? Pet. Malumus hic in gramine uiridi quiescere. Gysb. Endymionum est, non adolescetum, ita gramini incumbere. Pet. Attamen dulce est. Gysb. Iucundius mihi est ludere, quàm torpere.

Pet. Age, ludendo concertemus. Gyſb. Pilámne iaciendo inuicem? Pet. Cui eſt pila? nobis deeſt. Gyſb. En, hic duas habeo. Pet. Molliorem & leuiorem accipiemus. Gyſb. Belle dicis, nam iſta minus afferet doloris. Pet. Sed ſortiemur periculi & ludi comites. Gyſb. Ludemus, ut pila ſcrobibus impellatur. Pet. Tum ſors mittatur, quis inciat. Gyſb. Scrobs prius adſcribatur cuilibet. Pet. Quiſq; accipiat quam uelit, ſuprema erit mea. Gyſb. Aduolue pilam, in cuius ſcrobem ceciderit, eam in alios proiiciet. Pet. Papæ, meam incidit, fugite hinc. Gyſb. Ho, ho, neminem tetigiſti, notula tibi appingatur creta. Pet. In calceum fige mihi cretæ lineam. Gyſb. Demum adiice ſoueis pilam. Pet. Nunc tuæ intrudam ſoueæ. Gyſb. Si fecerio, te primum proiiciam. Pet. Vidēs? age quæ lubet. Gyſb. Fuge, aut te iactu petam. Pet. Si audes, iacias. Gyſb. Audeo maiora, en, tactus es. Pet. Et te rurſus ad ſuas læſi. Gyſb. Vix credo, nam ſenſi penitus nihil.

De Ludo globorum miſsilium, quos Omnia vocant Colonienſes tyrunculi literarij.

CORNELIVS, & IACOBVS.

NOn decet alios ludentibus nos ita deſidere. Iaco. Præſtat ſpectatorem eſſe, quàm ignauum colluſorem. Corn. Auſpicemur & nos duo ludum cognitum. Iac. Quem agemus conſulis ludum? Corn. Globulorum. Iaco. Cum globulis quos Omnia uocant? Corn. Impolitum eſt iſtud uerbum. Iaco. Noſti tu aliud uernaculum? Corn. Ipſe dicerem globulos miſsiles per pollices. Iaco. Et iſtam memoriæ recondam orationem. Corn. Fiat foſsiculus, in quem globuli mittantur. Iaco. Tibi culter eſt, effode terram. Corn. Præſcribe tu ludi carceres. Iaco. Hoc ſigno ligneolo. Corn. Præmitte tu globulum

bulum, ego deinde. Iac. En istic me ferius. Cor. Si possum, non sinam te ibidem durare. Iac. Te expectabit globulus. Corn. Vides? ubi nunc fistis? Iac. Semel sum à te propulsus, id nihil æstimo. Cor. Denique tria uici, tu nondum lucratus es. Iaco. Istis tribus nihil addes lucri. Corn. Res ipsa loquetur. Iac. Quibus Fortuna prius aspirat, tandem aduersatur. Corn. Mox sex numerabo. Iaco. Ipse præueniam te. Corn. Ah, nunc mihi timeo. Iac. Ecce & mihi tria sunt. Cor. Ego rursus tribus te excello. Iac. Non diu numero superior manebis. Cor. Istud experiar. Iac. Tuis conatibus ipse obsistam. Cor. Enitere quantum potes.

De Ludo globorum qui torquentur per anulum.

VDALRICVS, & VINANDVS.

EAmus deambulatum rus uersus. Vinan. Ruri quid tractabimus? Vdal. Ibi & ambulando, & colludendo nos oblectabimus. Vin. Quod ludi genus exercebimus? Vdal. Torquebimus globum per anulum ferreum. Vin. Age, propere eamus. Vd. Sed audi, in ludo globi anularis peritior me es. Vin. Rarus certè ipsum exercco. Vd. At tamen uidebo quid & ego possim. Vin. Globum prome. Vd. En tibi ferreum anulum, terræ infige. Vin. Flagellum & mihi præbe. Vd. Sortiemur, quis prius ludet. Vi. Ego cultrum sursum iaciam, tu elige. Vd. Seligam alterum cultelli latus, signum ubi impressum est. Vi. Latus planum sursum uergit, exordiri est meum. Vdal. Age, placet, incipe. Vin. Ictu primo globum per anulum pellam. Vd. Si feceris eris mihi magnus Apollo. Vi. Ridere fiet, uidebis me uirum. Vd. Ah, ah, nondum te expertum aspicio. Vi. Nescis uerbum Vergilij, neminem ubique

filici

felici ludere dextra? Vdal. Vt ego, ita per anulum agita res globum. Vi. Robur tibi est maius quàm mihi. Vda. Hic non robur, sed & promptitudo ualet. Vi. Nunc bellè anulum penetrabit. Vda. Vel à latere præteribit. Vi. Istud ipsi prohibebo. Vda. Clausis oculis aptius te luderem. Vin. Verbis tu magnus es, sed factis nullus.

De Ludo Saltus.

GEORGIVS, & VOLFGANGVS.

O Vos ciconiarum proles. Vol. Sumus proles ciconiarum? Ge. Estis, quia longissima habetis crura. Vol. Hoc tua nihil refert. Geo. Si audetis, ego pomilio unum quemuis uestrûm ad saltandum lacesso, & prouoco. Vol. Et ipse in arenam tecum descendam. Geor. Hoc saltandi more me imitare. Vol. Præsticas, faciam periculum. Ge. Ter solum salias post cursum factum. Vol. Metam signa lapide aut ligno. Georg. En, hîc constiti. Vol. Eam facilè assequar metam. Geor. Id post cursum iactita. Volf. Nunc uiri aspice saltum. Geor. Ah, saltum indignum iuuene tali. Volf. Pro uiribus conatus sum. Geor. Vires tibi (ut uideo) sunt imbecilles. Volf. Rursus experiar quid possim. Geor. Semel uici, non alterum tibi concedam saltum. Volf. Si nunc non assequor metam, palmam dabo. Geor. Lubens permitto, tandem tenta. Volfg. Vides me pene assecutum metam tuam? Geor. Assecutus es, sed non longius transponis. Vol. Satisfacit est quòd attigi. Geor. Denuò tibi consequendam ponam metam aliam. Vol. Vix remotius collocabis. Geor. Puderet me si non qualibet uice distantius saltarem. Vol. Te uirum dicam, si ostenderis. Geor. Videsne pene prolongassem. Vol. Quod pene fit (ut uulgo dicitur) id tamen non consequitur uotum.

De

De certamine cursus.

GERARDVS, & CRATO.

CEssemus oro de hoc ludo torquendi globum per annulum. Cra. Repetemus tũ ædes nostras? Ger. Vt uisum fuerit uobis. Cra. Esset nimis tempestiuũ. Ger. Ludi aliud genus incipiamus. Cra. Quale æstimas auspicandum? Gerar. Mihi ex diutino inflexu genua dolent. Cra. Eò præstaret in gramine decũbere. Ger. Id me puderet, sed currendo ipsa reficiam. Cra. Hoc fatigat, non recreat. Ger. Currere uires excitat, quas eneruauit torpor. Cra. Multi currendo crura infregerũt, qui torpendo tuti fuissent. Gera. Equi in stabulis diutius sistendo, crurũ uires amittunt. Cra. Aliud equis & homini competit. Ger. Quemlibet uestrûm ad parem cursum irrito. Cra. Et ego currendo tecum palæstram meo. Ger. Aliquo pretiolo curremus. Cra. Quid deponemus? Ger. Victus pendet binas uini mensuras. Cra. Mensuras ceruisiæ, non uini exoluet. Ger. Vt lubet, qui primus portæ adfuerit, uicit. Cra. Sed una cursum inchoẽmus. Ger. Adsis, meo adsta lateri: dum clamauero, curremus alacriter. Cra. Asto, curre, non retine me ueste. Ger. Ho, ho, uici, uici. Cra. Nisi cecidissem, me non præcurrisses. Ger. Gaudeo me euicisse te: utcunq; primus attigi metam, id refert nihil. Cra. Facile est uincere solum currentem. Ger. Fortuna uictoriam largiri solet.

An ille sit doctus semper (vt putant rustici) qui magnos potest legere libros.

PHILIPPVS, & HIERONYMVS.

IN doctissimi hominis ædibus nunc fui. Hiero. Doctissimi! age, quis iste est? Philip. Ecclesiæ nostræ rector

rector, quẽ uulgus pastorem appellitat. Hie. Prob, istum doctissimum existimas? Phil. Non magnæ esset eruditionis, cùm grandes legat & habeat libros! Hier. Librorum acerruus & pretiositas doctum non arguit uirum. Phil. Vulgus tamen persuasum habet, grandium librorum lectorem, peritum admodum esse. Hier. Totò errat cœlo id credendo. Phil. Errorem illum mihi ostende. Hier. Multi libros habent, quos neque legunt, neque lectos intelligunt. Philip. Quare tunc eos mercati sunt? Hier. Vt se exornent, tanquàm oppido gnaros. Philip. Stulti qui pecuniam non retinent. Hier. Emendo librorum supellectilem docti sibi nomen conciliant. Phil. Si hoc scirem, doctum me uocatum iri, totà re paterna libros emerem. Hier. Apud populum philosophus dicereris. Phil. Vtrum præstare credis, complures habere libros, & indoctum esse, uel peritum, & pauculos libros? Hier. Peritum esse præualet, & modicos possidere codices. Phil. Perilia è memoria citò elabitur, in libris autem diutius durat. Hier. Præstantius tamen est (ut inquit Erasmus) ingenium habere doctum, quàm libros eruditos. Phil. Sed è memoria elapsa scientia, ubi rursus acquiretur, si copia librorum deerit? Hier. Vbique extant bibliothecæ literariæ.

De præceptore eligendo.

ANTONIVS, & IOANNES.

ES tu in hoc ludo literario duraturus longius? Ioan. Minimè, sed aliò me conferam. Anton. Quò locorum? Io. Vbi melius erit consultum meo profectui in literis? Anto. Vide ne præstantiora quærens, uiliora incidas. Io. Prouidebo strenuè. Ant. Sed nosti quis sit præceptor eligendus? Ioan. Instar cæci, qui mihi arridet, illi me

me subdo. Anton. Mentium haberes morem, qui nihil emunt, nisi diu antè perspectum habeant. Ioan. Præceptorem, ut rem uenalem expositam, licetne perspicere? Anton. Duo sunt, per quæ præceptor utrisque (ut aiunt) brachijs amplexandus cognoscitur. Ioan. Quæ illa sunt? edissere precor. Anton. Si erudite docet, & discipulos literatos reddit. Ioan. Eruditionem præceptoris ignoti quomodo percipiam? Anton. Audiendo eum docentem, uel alios de ipso consulendo. Ioan. Ego indoctus iudicij sum expers. Anton. Peritiores, qui uir sit, facile tibi ostendent. Ioan. Iudicántne etiam discipuli de præceptoris industria? Anton. Heres in illo? nescis prouerbium uulgò usurpatum, Discipuli doctrinam ex præceptoris pendere peritia? Ioan. Audiui interdum, Qualis præceptor, tales & fieri discipulos. Anton. Quid tum adhuc suspenso es animo?

An Præceptor literarius sit colendus tanquàm parentes.

IACOBVS, & LAVRENTIVS.

VT ita erga præceptorem te habes? Lau. Tua quid refert? Iacob. Nihil. Lau. Quid ni? tum scleas. Iaco. Iniquum uidens, tacere nequeo. Lau. Est istud iniquum, obloqui præceptori? Iaco. Certè parum decet. Lau. Par pari referre licet. Iaco. Præceptori non reluctandum, sed tacendum est. Lau. Dico ut tu, iniquè obtinere nequeo. Iaco. Taciturnitas decorat iuuenem, præcipuè ad præceptoris uerba. Lau. Vecors esset, qui ad plagas obmutesceret. Iaco. Qui obmurmurat, plus ictuum recipit. Lau. Iuuat me tamen uerbis ulcisci, si factis non conceditur. Iaco. At miserum est uerbis emere uerbera. Lau. Istas parui pendo plagas. Iaco. Illi infeliciter

ter succedit, qui præceptorem non ueneratur. Laur. Talem hominem quis ueneraretur? Iaco. Sit fortunæ cuiuscunque, dem[illegible] præceptor noster est. Lau. Non dius sibi discipulus erò. Iaco. De tuo non plorabit discessu. Lau. Et ego gaudebo me ab eo liberari. Iaco. Præceptores non secus ac parentes sunt colendi. Lau. Sanè per Herculem, id ego feci nunquam. Iaco. Ego autem maiori amore præceptorem, quàm parentes sum prosecutus. Lau. O ingrate parentibus! Iaco. Præceptor scientiam mihi præbet, quod nequeunt parentes. Laurent. Ab ipsis autem uitam habes, & quòd homo es. Iaco. Id parum est: quid enim uita est sine literarum peritia? Lau. Nescis, uita nihil est nobilius? Iaco. Sed uita nostra, imperiti si fuerimus, non uita, sed mors est uerius, si quid Aristoteli fidei datur.

De Nundinis & munerum Nundinariorum emptione.

SEVERINVS & BALTHASAR.

VIdisti, quàm feruide tentoria erigunt mercatores? Balt. Vidi, quid deinde? Seueri. Nundinarum appetunt feriæ. Balt. In illo mihi nihil metuitur. Seueri. Sed ipse nonnihil commodi spero. Balt. Quo homine? Seuerin. Ab amicis munera nundinaria expecto. Balt. Ah, expectare miserum est. Seue. Satius tamen expectare, quàm nihil habere spei. Balt. Qui spe uiuit, miseram agit uitam. Seue. Non omnes spe frustrantur. Balt. Plures certè quàm uoti compotes fiunt. Seue. Nundinaria munera quotannis his nundinis mihi largiuntur affines. Balt. Fortunatior me es, cui non teruntius datur. Seue. Tu alienus es, ego incola & ciuis sum. Balt. Si in patria agerem, etiam de nundinis gauderem. Se. Expecto

nunc

nunc, & calceos, & tiaram me accepturum. Balth. Quis ista tibi mercabitur? Seuer. Cognati & agnati mei, qui ex alienis adsunt oppidis. Balth. Vide, ne mercimoniis impediti tui obliuiscantur. Seuer. Ego ipsos sæpe admoneo, & interpello. Balth. Rogare mendicorum est. Seuer. Non stipem rogo, sed munus nundinarum. Balth. Parum interest. Seuer. Sit utcunque, ego lubens accipio ea munuscula. Balth. Certe desiperes, si data recusares.

De Nundinis Francfordiensibus.

GYSBERTVS, & ANDREAS.

Nautæ nunc sua instruunt naues passim. And. Quò concessuri sunt? Gysb. Francfordiam uersus. And. Appropinquátne tempus nundinarum? Gysb. Maximè foribus erit antea, quàm isthuc uenient. And. Non putassem adhuc eas pulsare fores. Gysb. O quàm uellem & me istuc posse concedere. And. Ibidem tibi quid exequendum esset? Gysb. Præter quàm ignota perlustrarem loca, prorsus nihil. And. Pigrior ego essem, quàm quòd eò tenderem, ubi nihil esset quod agerem. Gysb. Dulce est peragrasse uarias urbes. And. Præstat tamen quandoque in patria mansisse. Gysb. Francfordiam Hercule accederem, nisi aliqua me morarentur. And. Quæ te detinent? Gysb. Sanè multa, præcipuè tamen duo. And. Quæ illa sunt? Gysb. Primum uiatici carentia. And. Num id pater tibi suppeditaret? Gysb. Nimio constat, ego iuuenis quantum ipse sumptus in diuersoriis facerem? And. Fidem do, sed quod est alterum impedimentum? Gysb. Dicunt in itinere eum, cui nunquam uisa est Francfordia, tractari ut asinum inter fluuios. And. Et istud nonnunquàm uidi quomodo aquæ immergebantur. Gysb. Post illud

& multitudinem credo pecuniæ. And. Fortè aureum insumunt conuiuio, id parum est. Gysb. Certè non parum est, quia difficile acquisitu est pecunia. And. Tibi & tui similibus nihil obest.

De vitando mendacio.

EVERGISSVS, & HERMANNVS.

Nostra non diu amicitia constabit. Herm. Mali quid ipsum infrigeras? Euer. Mentiri assuescis. Herm. Mentiri ioco ferendum est. Euer. Anguem minus odi, quàm mendacium. Herm. Loqueris tu semper certa? Euer. Aut sileo, aut quæ mihi constant, loquor. Herm. Iocaris iste interdum? Euer. Etiam sæpissimè. Herm. Qui iocari potes, si uero inniteris? Euer. Nequit iocus per uerum, credo, fieri? Herm. Verũ mordere solet, & odiũ parere. Euer. Delectatne tuus sermo falsus? Herm. Neque quantò maiores, tantò exhilarant uberius. Euer. Vulgi homines falsitate & mẽdacio non capiuntur. Herm. Non omnes sunt Solones, ut tu. Euer. Probi ueritate sola teneri... Herm. Attamen quandoque dum carpuntur, ... recipiunt. Euer. Mendacio detestabilius in homine nihil esse potest. Herm. Lusorem, uel furem, uel latronem esse adhuc grauius est. Euer. Ah, minimè, longè istis accedit mentiri ipsum. Herm. Credat hoc Iudæus Apella. Euer. Qui mentiri audet, nihil facinoris inexpertum relinquit. Herm. O tu mendacij contemptor. Euer. Vulgò fertur: Iurati mendacium computatur. Herm. Vulgi non est insistendum sententiæ.

De confessione.

THOMAS, & IODOCVS.

Retulistine sacerdoti peccata tua? Iodocus. Nondum. Thom. Quando exequaris istud muneris?

Iod. Adhuc sat restat temporis. Tho. Peracto autem opere, dulce est quiescere. Iod. Etiam ante laborem quies est iucunda. Tho. Sed non adeo delectat ut negotio executo. Iod. Assentio. Tho. Ego nunc confessum eo. Io. Comitabor te. Tho. Cui soles delicta enarrare, an plebeiario nostro? Iod. Feci nunquam, sed semper cuipiam monachorum. Tho. Istud & mihi est moris. Io. Apud illos plus mihi est deuotionis. Tho. Et illi ipsi pecuniæ nihil expetunt. Iod. Aliquid eorum tamen acciperent, si daretur. Tho. Timesne etiam sacerdoti peccata denudare? Iod. Metuebam olim puer, nunc non. Tho. Metum quid tibi incutiebat? Iod. Dicebatur passim, quod uni à confessore fronti clauus infigeretur. Tho. Istud & ipse audiui, sed credebam nunquam. Iod. Confiteris tu ex chartula? Tho. Confiteor, aliàs timor omnium mihi induceret peccatorum obliuionem. Iod. Prohibent tamen istud nonnulli confessionem audientes. Tho. Timent ne perdatur schedula, uerum eam deinde ilico comburo. Iod. Latinene reddis confessionem? Tho. Non, sed Germanice loquor. Iod. Confessor quadam uice nolebat à me Romanum audire sermonem. Tho. Fortassis pessime intellexit. Iod. Certè parum doctus fuit.

De cœna suprema CHRISTI cum discipulis, & de die Parasceues.

VINCENTIVS, & MATTHIAS.

NVnc post triduum Pascha præsto erit. Matt. Verum, sed illud triduum nondum lapsum est. Vinc. Elabetur denique citius, quàm dies esuriales hactenus acti. Matth. Magis autem & acerbius nunc esuriendum est. Vinc. Id refert nihil, carceri incluso egendum esset cibo. Matth. Ibi necessitas eum urgeret. Vincent. Hi dies

tres mihi abibunt pernicissimè. Matt. Quo delicio eos transiges? Vinc. Spe uescendi ouis paschalibus (ut uulgò fertur) post ipsos. Matt. Pulchrè dicis, nam spes quandoque leuat aduersa. Vinc. Vbi hodie intereris pedum lotioni? Matt. Cœnobium aliquod religiosorum accedam. Vinc. Quorum? Mat. Incertus sum, quocunque uenero. Vinc. Expectas aliquem bolum opiparum? Matt. Vtiq; in quibusdam cœnobiis mensæ accumbitur. Vinc. Cui monasterio soles interesse hoc die? Matt. Antonio diuo dicatis ædibus. Vin. Ibidem quid consequêris lucri? Mat. Placentas duas triticeas. Vinc. Accumbit quilibet istuc ueniens mensæ? Matt. Assidet, & ante ipsum calix uini ponitur. Vinc. Et quot placentæ? Matt. Cuilibet duæ, & deinde una inter duos, de quo rodunt ut sitim excitent. Vinc. Defert quisque duas secum domi. Matt. Quid ni? Vinc. Quoties calices uino replentur? Matt. Tribus (ni fallor) uicibus. Vinc. Lauantur ne ibi pedes? Matt. Religiosis, sed aduenis dextra manus. Vincent. Quis CHRISTI munus exequitur? Matt. Cœnobij antistes, quem uulgus præceptorem appellat, uir nostra ætate uerè literatorum Mecœnas.

De sumptionis Eucharistiæ præparatione.

ANTONIVS, & MICHAEL.

HOc uesperi si lubet tibi, una modicè bolum unum aut alterum edemus. Mic. Edere mihi non licet. Ant. Es fortè cras sacrum CHRISTI corpus manducaturus? Mich. Ita stat sententia, si digne possem. Anton. Bolus ac haustus unus uini te nihil impediet. Mich. Nonnihil edam, ne deficiam corpore. Ant. Quo modo te parare soles ad synaxim sumendum? Mich. Vesperi os colluo aqua, & eximo si quid cibi inhæret dentibus. Ant.

Præst

Præstaret cor à peccãdi uoluntate purgare. Mic. Quantum possum ne id negligo. Ant. Ad digne manducandum id confert oppidò. Mic. Compertum habeo. An. Difficilimum est uoluntatem peccandi radicitus excitere. Mic. Fit facile, si Dei precãti fuerimus opitulamen. Ant. Istud sedulò inuoco. Mic. Tum confide sacramenti sumptionem tibi saluti futuram. An. Nosti quid facies, si hostia summo adhæserit palato? Mic. Scio, potu depono, non digito detrabo. An. At, quàm diu corpus CHRISTI in nostro manet uentre? Mic. Quousque hostiæ materia fuerit decocta. Ant. Est ne expuendum illo die in terram? Mic. Ante cibum sumptum uitandum est. Ant. Licebit tum prandio peracto? Mich. Concedetur: satius tamen esset (uulgi sententia) in parietem sputum emittere.

De more post Gymnasia triuialia accedendi scholas præcelsas, quas bursas appellant.

VINANDVS, & CRATO.

PRæceptor erit nobis in prandio conuiua. Crat. Vocarunt eum parentes tui? Vin. Ego ipsum heri nomine parentum inuitaui. Crat. Cuius rei gratia? Vin. Id homo linguax mox dixisset. Cra. Tu loquace non es præstantior. Vin. Expetis scire causam? Crat. Vtique cupio. Vin. Mea sit causa. Crat. Facilè persuadebis mihi. Vin. Mercedem meæ institutionis ei pendet pater. Crat. Hoc ipsum oblectabit. Vin. Sed aliud audiet, unde dolebit. Crat. Loquentúrne ei parentes tui lapides? Vin. Dicent me ferulæ alterius subditarum manus. Crat. In quónam Gymnasio militabis? Vin. Non in triuiali, sed ubi studentes agunt nudis capitibus. Crat. In bursáne? Vin. Ibidem scilicet. Crat. Cur nostram deseris palæstram

literarium? Vinan. *Pudet me grandeuum assidere tyrunculis literarijs.* Crat. *Non puduit tamen Iudeos assidere puero Iesu.* Vinan. *Etiam aetas mea exigit, ut grauiora petam studia.* Crat. *Vide ut primam & rudem prius calleas eruditionem.* Vinan. *Si quid meis defuerit rudimentis, tempus addet.* Crat. *Sed forsan non omnis schola.* Vinan. *Noli mihi tutor esse.* Crat. *Nostine cur Gymnasia ista Philosophica Bursae uocentur?* Vinan. *Doceas me, auscultabo.* Crat. *A bursa (quod nonnulla crumena est) quia crumenam exigunt.* Vinan. *Quid hoc?* Crat. *Quia gradus inanium nominum magno in ipsis ueniunt.*

De deponendis (vt aiunt) cornibus Beanitatis.

PETRVS, & VRBANVS.

HEus tu, audisne unquam prouerbium, Odit figulus figulum? Vrban. *Hisce hausi auribus saepiusculè.* Pet. *Nosti quid uelit?* Vrb. *Noui dintissimè* Pet. *Explica ut audiam.* Vrb. *Id est, quisque artis suae odit rivalem.* Pet. *Hoc inter deditos literis etiam est simultas?* Vrb. *Est inter studentes & nos, quos Beanos uocant.* Pet. *Credisne tu, cornua nos gerere, ut ipsi garriunt?* Vrb. *Ignoro, nam meipsum non noscо.* Petr. *Nemo persuadebit mihi.* Vrb. *Ipsi tamen dicunt, & se olim ea habuisse.* Pet. *Nugantur & nos hircum olere.* Vrb. *Istud est facilius creditu.* Petr. *Ais & tu, unde conicis?* Vrb. *Sordemus e frustis panis delinitis, quae saepe ad diem in sutu gestamus.* Pet. *An nos liberant ab his duobus uitiis, dum cornua nobis tollunt?* Vrb. *Sic habet fides ipsorum.* Petr. *Fides ista uanior est mulierum credulitate.* Vrb. *Ipse fortassis brevi experiar.* Pet. *Tollentur tibi cornua.* Vrb. *Auferentur simul*

simul & sordities. Pet. *O si liceret me esse spectatorem.* Vrb. *Ego quoq; spectare mallem, quàm ferre.* Pet. *Vidistin' quandoque spectaculum istud?* Vrb. *Nusquàm integré.* Pet. *Tractabunt te ut asinum inter simias.* Vrb. *Iaciam aleam, non tamen de capite agitur.*

Quòd difficile & amarum sit, à repetacto surgere lecto.

CORNELIVS, & PETRVS.

AH, *si licet nobis diutius stertere.* Petrus. *Hoc & ego optarem.* Corn. *Me sopor oppido adhuc grauat.* Petrus. *Et mihi oculi sunt constricti.* Corn. *Sputo ipsos lintias, & aperientur.* Petrus. *Proderunt?* Cor. *Eac periculum & percipies.* Pet. *Incipio uti uisu.* Cor. *Sed surgemusne?* Petrus. *Tuæ me subscribam sententiæ.* Corn. *Frigus est acre.* Petrus. *Sensi dum è lodice extendi manum.* Corn. *Præstaret nido tepido immorari, quàm à cubitu resurgere.* Pet. *Probè mones.* Corn. *Frigus nõ minus ac culter lædit.* Petrus. *Istud nasus meus & manus loquuntur.* Corn. *Pauxillum temporis adhuc sub centone agemus.* Petrus. *Hoc si tacuisses, protulissem.* Corn. *Interulam & caligas sub lodicem pone, quò incalescant.* Petrus. *Hac nocte indusio indormiui.* Corn. *Nequeo somnum capere, nisi totus me exuero.* Petrus. *O delicias hominis!* Corn. *Aiunt inde uermes gigni, si diu noctúque uestes corpori adhæserint.* Petrus. *Expers metus illius sum, quia sæpe muto lineum indumentum.* Corn. *Sat nugatum est, surgendum est tandem.* Petrus. *Hui, uellem me indutum esse.* Corn. *Festinemus, nos cingendo uestibus.* Petrus. *Age, uter citius erit instructus.* Corn. *Caligæ me morantur.* Pet. *Et ego calceos non reperio.*

De profectione in peregrinæ vrbis gymnasium literarium.

ERASMVS, & ADOLPHVS.

SAlue sodalium iucundissime. Adol. *Salue & tu quoq;* Eraſm. *Quomodo tibi conuenit cum parentibus tuis?* Adol. *Qui tu istud quæritas.* Eraſm. *Eò, quia ipse apud meos longius durare nequeo.* Adol. *Nolunt te alere?* Eraſm. *Alerent me bene, sed nunquàm tranquillè.* Adol. *Fortè plagis te sæpe domant.* Eraſm. *Non, sed me semper insciliæ arguunt.* Adol. *Vnde ipsi tuæ peritiæ periculum habent?* Eraſm. *Mater æstimat me iuxtà insciũ manere.* Adol. *More Andabatarum id fortasse coniicit.* Eraſm. *Ideò aliò me conferam è patria.* Adol. *Exulabisne?* Eraſm. *Inuisam quid alibi in urbibus rerum geratur.* Adol. *Sed fac ut eruditior redeas.* Eraſm. *Omne mouebo saxum.* Adol. *Id decet: nam patriam regredi imperitum, extremum est uitiorum.* Eraſm. *Accinge te, & mecum proficiscere.* Adol. *Placeret mihi, si parentibus uisum esset.* Eraſm. *Nõ possẽs scio à matre abesse.* Adol. *Quî hoc nosti?* Eraſm. *Nouunquàm mammillas te fugere oportet.* Adol. *Assem sumerem, & matris deuouerem conspectum.* Eraſm. *Si tibi liberum fuerit, hoc uesperi mihi adsis.* Adol. *Dabis nobis monimentum discessus?* Eraſm. *Largiar, & cras primâ luce hinc anchorã soluam.* Adol. *Precabor parentes meos, quò conuenire liceat.* Eraſm. *Istud facito & ueniã, bellos homunculos agemus.* Adol. *Si per parentes potuero, non emanebo.*

Quando quis satis scientiæ habeat, vel sciat.

IOANNES, & IACOBVS.

TV ueterane miles, assidesne adhuc libris? Iaco. *Aliud nihil agere possum commodius.* Ioan. *Tranquillam*

nunc

nunc fungeres uitam, otiando & potando. Iacob. *Nulla mihi tranquillior est uita, quàm literaria.* Ioan. *Satis nunc scientiæ habes.* Iacob. *Scientiam uix prioribus labis attigi.* Ioan. *Nunc tuum ipsius encomium taces.* Iac. *Loquor quod res est.* Ioan. *Tamen omnes tuos commilitones peritia excellis.* Iacob. *Facile est amusos præcellere.* Ioan. *Si tua mihi esset eruditio, libros raro salutarē.* Iacob. *Tum certè tibi ipsi imponeres.* Ioan. *Non moror philosophiæ fastigium.* Iacob. *Et ego nollem aliis esse imperitior.* Ioan. *Precor edisserē, quando quis satis scientiæ habeat?* Iacob. *Quod quæris, mei ingenij uires excedit.* Ioan. *Respondeas saltem, quantum per Mineruam potueris.* Iacob. *Respondeo, quando nihil ignorat.* Ioan. *Tuo iudicio (ut audio) nullus fieret doctus.* Iacob. *Non capio quid uelis.* Ioan. *Quia illi qui habentur passim eruditi, adhuc multa ignorant, ut artes ipsas manuarias.* Iacob. *Nescire illas literis deditum refert nihil.* Ioan. *Speras etiam te olim consecuturū scientiæ metum?* Iacob. *Si Nestoris audio sententiam, tunc nunquam.* Ioan. *Quid Nestor dixit de scientiarum metu?* Iacob. *Retulit se & senem fieri, & in dies prius ignota discere.* Ioan. *Quem Plato literatum censuit?* Iacob. *Eum, qui omnium scientiarum esset utcunque gnarus.*

De more standi ad cyathos.

ADRIANVS, & CHRISTOPHORVS.

Quàm occupatissimi omnes cras erimus domi nostræ! Christ. *Vnde istæ occupationes?* Adrian. *Permulti apud nos prandebunt.* Christ. *Facient tui parentes soli sumptum?* Adrian. *Vtiq; solemus hoc die aduentu uicinos excipere conuiuio.* Christ. *Gentiles Romanos imitamini.* Adrian. *Solebántne & illi inter se solen-*

Digitized by Google

ne agitare conuiuium? Christ. Solebant, si Valerio Maximo credatur. Adri. Et quos inuitabant? Christ. Solos amicos. Adri. Apud pocula quid tractabant? Christ. Anni spatio inter se ortum inuidiam leniebant. Adri. Ni fallor, & ea gratia nobis mos ille est. Christ. Facilè credidero. Adri. Mihi autem cras plus aliis sudandum erit. Christ. Quod tibi commendatur munus? Adri. Aliis accumbentibus standum mihi erit ad cyathos. Christ. Est illud tibi molestum? Adri. Non molestum admodum, sed laboriosum. Christ. Conuiuae tibi interdum calices exorbendos dabunt. Adri. Certè istas delicias non efflagito. Christ. Tamen aliquorum palata iuuant. Adri. Cantharus quo pocula impleo, & patinarium tollere, me onerabunt. Christ. Non licebit tibi sesso, alteri tradere in declarsu lampadem? Adri. Tum omnes me incusarent desidiae. Christ. Simularesne egrotare. Adri. Absit istud, quia tunc lautis priuarer bolis. Christ. Minime, nescis delicatiora porrigi egris?

Quibus vtendum verbis, dum vinum foris emptum, mensæ adfertur.

EMERICVS, & CHRYSANTVS.

QVippiam te rogarem, si scirem non recusaturum. Chry. Si potuero, haud difficilis ero. Emer. Poteris facilè, si te non grauauerit. Chry. Grauabit me nequaquam, si præstare possum. Emer. Doceas me oro, quibus verbis uinum afferam mensæ, mercatum uel latum foris. Chry. Nihil ac lubens fecero. Emer. Loquere tu ut uinum afferens, ego ad mensæ accumbens respondebo. Chry. Faciam, tu uide commodè respondeas. Emer. Auspicare. Chry. Hoc uini prosit bibentibus. Emer. Et tibi offerenti. Chry. Istud uini bibentibus non obsit.

Emer.

Emer. *Neque tibi adducenti.* Chryſ. *Vinum quod apporto, ſit uobis omnibus ſalutiferum.* Emer. *Et tibi apportanti ſalutem præbeat.* Chryſan. *Merum hoc quod ſortitus, felix ſit uobis potus.* Emer. *Neque infelix ſit tibi nuntio.* Chryſ. *Hic Bacchicus potus uobis omnibus fortunatus ſit.* Emer. *Talis ſit & tibi id nobis precanti.* Chryſ. *Hoc uini Deus ſalubre faciat.* Emer. *Idem & tibi reddat.* Chryſan. *Feliciſſimo omine hæc Bacchica bibite munera.* Emer. *Et tu quoque felici auſpicio de ipſis ſumito.* Chryſ. *Has uineæ dotes opto uobis omnibus ſecundas.* Emer. *Gratiam habe, neque tibi ſint minus ſalutiferæ.*

De modo ſternendi menſam.

CRATO, & VALTERVS.

AVdin' tu horologium? Val. *Audio, quid inde?* Cra. *Scis quota ſonat hora?* Valt. *Aeſtimo nona.* Cra. *Si addideris unum, uera loqueris.* Valt. *Sonat decimam?* Cra. *Accelera tu domum uerſus.* Valt. *Tardus non ibo.* Crat. *Appara menſam ante patris aduentum.* Valt. *Timeo ne tam citò poſſim.* Cra. *Veni, iuuabo te.* Valt. *Ah, leua mihi laborem.* Cra. *Faciam, ſed alia uice & me auxilio afficies.* Valt. *Experieris me diligentiorem quàm putas.* Cra. *Linteum quo menſa ſternitur, feras, ego panem quæram.* Valt. *Linteum nondum ab heſterna cœna exactum eſt.* Cra. *Ilico effunde, ſi quid intus eſt quiſquiliarum.* Valt. *En feci, menſam ſterno.* Cra. *Panis nondum eſt decorticatus.* Valt. *Ego celerrimè ipſum perpoliam.* Cra. *Confero me eductum ceruiſiam.* Valt. *Vade uarans uiam.* Crato. *Rurſus præſto ſum.* Valt. *Quadras porrige.* Cra. *Aereas, uel ligneas?* Valter. *Ligneas primùm.* Cra. *Circinum in medium menſæ po-*

nas.

Digitized by Google.

nas. Valt. *Tu talis sis memor.* Crat. *Cuilibet quadræ frustum panis appone.* Valt. *Et tu singulis poculum adde ceruisiæ.* Crat. *Quid nunc restat?* Valt. *Calices uini elue.* Crat. *Satis maturè istud fiet uino allato.* Valt. *Mox aderit qui uinum afferet.*

Miserum esse in prandio venire peracta fabula.

BALTHASAR, & LYBORIVS.

TV saltas nunc, ego potius flerem. Lyb. *Fleres forte siccis oculis.* Balt. *Cenè oculis madentibus.* Lyb. *Non tamen uapulas.* Balt. *Aliud est quod mihi lachrymas excutieret.* Lyb. *Dum nihil est secreti, effare.* Balth. *Esurie mihi crepitat uenter.* Lyb. *Esuris tu à prandio?* Balth. *Iciuhi est esurire.* Lyb. *Forte nondum es pransus.* Balth. *Non tantillum.* Lyb. *Denegabant tibi parentes uictum?* Balth. *Et à cibo & potu me arcebant.* Lyb. *Grauiterne eos offendisti?* Balt. *Nihil commerui, nisi quòd mensa sublata, domum ueni.* Lyb. *Vbi tam seruè fuisti moratus?* Balt. *Templa diuersa obambulatui orandi gratia.* Lyb. *Vix tantum religionis tibi esse credo.* Balt. *Deuotionis nihil mihi uendico.* Lyb. *Sed age, cogitur ille esurire, qui post sumptum prandium uenerit?* Balt. *Aedes nostræ, peracta prandij fabula, nullu uictum præbent.* Lyb. *Certè tum post Plaudite apud uos uenire, miserum est.* Balt. *Me hodie ueniente domum, de prandio conclamatum fuit.* Lyb. *Non rursus tibi sternebatur mensa?* Balt. *Nequaquam, sed fuit ego sternebar terram uersus.* Lyb. *Saturaberis etiam inde?* Balt. *Non in stomacho, sed in corpore plagis.* Lyb. *Ita nollem saturari.* Balt. *Et ego esurire malo, quàm sæpe illo pasci cibo.*

De

De uuis carpendis.

PETRVS, & CORNELIVS.

NOsti quid sequenti hebdomada nobis incumbit laboris? Cor. Carpemus uuas, ut opinor. Petr. Libens faciam. Corn. O quantum uuarum ego deuorabo! Petr. Et ego illis non abstinebo. Corn. Videndum tamen est, ne earum esus nobis male cedat. Petr. Qui male? caderent? Corn. Multi nocte lectum concacant. Petr. Noui aliquos qui caligas impleuerunt uentris oleto. Cor. Ego in die sepe exonerabo aluum. Petr. Eris tum nocte liber, credis. Corn. Spero. Petr. At in nocte primum fit digestio. Corn. Ego postquàm cunas deserui, nunquàm lectum oleto fœdaui. Petr. Neque ipse, ut mater testis est. Corn. Acuisti cultrum tuum? Petr. Heri subegi in coticula. Corn. Per quot dies carpemus uuas? Petr. Nescio, istud copia uel turba decerpentium admonebit. Corn. Si mensis spatio duraret, non me grauaret. Petr. Quid abs omnium rerum est satietas. Cor. Aliquot uuas celabo sub uestem, & domi deponam. Petr. Quò? ad arculam tuam? Corn. Sic, & dum cubitum ibo, semper unam aut alteram edam. Petr. O tu delicati palati homo! Corn. Partiar tecum, si apud matrem me non prodes. Petr. Harpocratem agam bellissimè. Corn. Quàm diu fortè solus fueris. Petr. Silebo bellissimè.

De Cerasis.

BARTHOLOMAEVS, & AEGIDIVS.

HO, ho, quid ego noui uidi. Aegid. quid? quid? exprime. Bart. In foro quippiam uidi, quo gaudebam. Aegid. Audiam quid? Barthol. Matura cerasa. Aegid. Vix credo. Bart. Sanè erant ligneolo cirumligata

gata. Aeg. Quanti ueniebant? Barth. Ligneolum fortè uiginti continens cerasa, terunlio uendebatur. Aegid. Tanti ego non edam cerasa. Barth. Si nummus mihi esset, mercarer ilico. Aeg. Expecta, mox nilum uenient. Barth. Expectare uix queo, ita gula mihi prurit. Aeg. Eme ipsa, si es in numerato habes. Barth. Cœnuus rogo solido. Aegid. Fiet posthac, dum minoris uendentur. Barth. Timeo desinat cerasorum messis, antequàm me ipsis exaturauero. Aeg. Metuis ne cœlum ruat. Barth. Quàm diu credis adhuc erit ipsorum mercatus? Aeg. Ad sesquimensem. Barth. Nunc in cœlo sum, interim nucatus eusdam. Aegid. Istud mihi non est sperandum. Barth. Colligis tu è cerasis nucleos? Aeg. Conseruo utique. Barth. At in quem usum: an tu par uel impar ludes? Aeg. Non, sed ut ipsos dem præceptori. Barth. Locum tibi dicam, ubi permultos reperies nucleos ceraseos. Aeg. Vbinam? Bart. In oleti reconditorio. Aeg. Istic tu eos lege. Barth. Ego ipsis non egeo. Aeg. Et mihi satis magna illorum est copia.

De Fabis, & cur sit prouerbium, Fabis virentibus furiunt mori.

FRANCISCVS, & AVGVSTINVS.

NVnc uirent campi, nunc formosissimus annus. Aug. Haud falsa narras. Fran. Segetes nunc adolescunt. Aug. Mox adoleuerunt. Fran. Vidisti etiam & fabas uirere? Aug. Vtique ante dies compluisculos. Franc. Sensisti etiam ipsas florere in capite tuo? Aug. Quomodo fabarum germen caput meum perciperet? Fran. Mirarisne hoc? Aug. Admiror maximè, cum in ægris, non meo crescant capite. Fran. Ah, certè ius fabarum nusquam magis, quàm in tuo cerebro oritur. August. Cerebrum

meum

meum tamen non est satum fabis. Franc. *Aeque uis ipsarum ibidem residet.* Aug. *Quid uocas uim fabarum?* Franc. *Vis earum est, obtusum reddere quod tangunt.* Aug. *Fortè ingenia eorum qui ipsis uescuntur.* Franc. *Sic ideò Pythagoras iussit abstinere ab illis.* Aug. *Vero non dissonat.* Franc. *Habes compertum, cur dicatur, Fabis uirentibus furere moros?* Aug. *Prouerbium scio, sed non causam.* Franc. *Hæc est causa, quia per ipsa infatuata cerebra hominis faciunt furere.* Aug. *Tunc eas nunquam degustabo.* Franc. *Etiam odore perceptæ gestire faciunt moros.* Aug. *Nunc tutus esse nequeo.* Franc. *Olfactum occlude alterius rei odore.* Aug. *Cuius rei suades?* Franc. *Oleti uetulæ aniculæ.* Aug. *Id facito uice mea.* Franc. *Ipse amoris sum liber.* Aug. *Qui hoc?* Franc. *Sæpe nauigo Anticyras, & edo nasturcium.*

De Missa in dies audienda.

BERNARDVS, & CONRARDVS.

QVando è lecto tu te maue corripis? Con. *Statutum mihi tempus non habeo.* Bern. *Licet dum tibi ad tuum dormire nutum?* Con. *Hisce diebus quos sacros habemus.* Bern. *Transigis tunc cubando longius tempus, quàm alio die?* Con. *Etiam, quia plus per scholam uacat.* Bernar. *Matutinis sacrificiis non soles interesse?* Con. *Soleo, sed non nisi in præcipuis sanctorum festis & summis.* Bernar. *Diebus autem operosis quando à cubitu surgis?* Con. *Ad horam quintam.* Bern. *Inuisis ea hora scholam?* Con. *Non, sed templum accedo.* Bernardus. *In templo quid exequeris?* Con. *Sacrificio missæ intersum.* Bernar. *Quotidiéne audis missam?* Con. *In dies certè, si licet per negotia.* Bern. *Ego nunquàm, nisi die festo uel dominico.* Con.

Ideò

Ideò etiam in literis nequis progredi. Bern. Aestimas id esse causae? Conrard. Scio uerissimè. Bern. Vnde nosti? Conrard. Euangelium dicit, Si primùm quaesierimus regnum Dei, omnia nobis dabuntur. Bern. Nonnullos tamen uidi peritissimos euadere, & rarissimè eadem sacram inuiserunt. Conrard. Fortuna illorum diu non durabit. Bern. Quantumuis autem sciuerunt, inopes tamen usq; mansêre. Conrard. Sint tibi exemplo, & tu frequentius ora. Bern. Faciam, tu tuae admonitionis gratiam habeas. Conrard. Videbis pauxillulo temporis progressum ubique feliciorem te habiturum. Bern. Parebo tuis iussis.

Quomodo iuuenis in literis profecturus se gerere debeat.

ALBANVS, & LYCVRGIVS.

SAlue. Lyc. Et tu quoque. Alb. Negotij quid gerís? Lyc. Equidem otium, non negotium ago. Alb. Tu rarus libros tractas. Lyc. Non semper eadem sunt agenda. Alb. Credebã te nihil quàm chartas reuoluere. Lyc. Cur id persuasum habuisti? Alb. Quia longè praecellis alios peritia. Lyc. Scientia non solùm legendo acquiritur. Alb. Quo tum alio modo? Lyc. Etiam precando, & gratiam diuinam implorando. Alb. Tamen rarò templis interfunt feruentes studio. Lyc. Mane, dum tu fertis in nido calido, ipsi Deo seruiunt. Alb. Ego etiam singulis diebus oro, & perlego folia multa. Lyc. Labris forte murmuras, sed cor aliud uoluit. Alb. Et corde oro quantum conceditur. Lyc. Et orare & studere simul oportet. Alb. Putabam habita gratia diuina labore opus non esse. Lyc. Minimè, prouerbium est, Cum Dijs manum admoue. Alb. Quid illud sibi uult adagium? Lyc. Id est,

cum

cum gratia diuina etiam laborandum esse. Alb. *Posthac igitur feruentius & orabo, & chartis impallescam.* Lyc. *Scientia datur à præceptoribus, à libris, & gratia diuina.*

Cur Scholastici tam defides sint ad laborem.

THEOPHILVS, & PARMENO.

CVr tu ita defides manibus insinuatis? Parm. *Quid agerem?* Theo. *Admouc manum nostro operi.* Parm. *Labore non capior.* Theo. *Quo tum? delectariſne otio?* Parm. *Sic potius quàm opere.* Theo. *Facilè mihi perſuaſeris.* Parm. *Credis ita celerrimè?* Theo. *Vbi uera audio, non dubito.* Parm. *Et falſis ego quandoque fidem præbeo.* Theo. *Compertumne habes, cur ſcholaſtici plus aliis torpeãt?* Parm. *Cauſam ignoro.* Theo. *Otiando torpor adipiſcitur.* Parm. *Torpent interdum & laborantes.* Theo. *Citius tamen otioſi, quia non ſunt aſſueti labore.* Parm. *Etiam & laborioſi eneruati nonnunquam ſudando.* Theo. *Torpor præcipuè tamen ſcholaſticis adſcribitur.* Parm. *Miror cur id fiat.* Theo. *Hanc uulgus adhibet cauſam, quia in die diui Gregorij omnibus priuantur utribus.* Parm. *Dum primùm in ſcholam feruntur? at quis ipſis uires adimeret?* Theo. *Aiunt quòd beatus Gregorius.* Parm. *Vanum eſt: iſte ſcientiæ eſt præſes, non utrium ſpoliator.* Theo. *Per Pollucem, nec cenſore ſocordiæ ſcholaſticæ longè alia eſt cauſa.* Parm. *Amâbo dic quæ?* Theo. *Adſueſcunt mollem ducere pennam, & onera grauiora fugiunt.* Parm. *Aſſuefactio efficacißima eſt, & altera fermè natura.*

Quòd promiſſa ſtultos exhilarant.

DAVVS, & PAMPHILVS.

IPſe nunc in portu nauigabo, ſciſne? Pam. *Mutabitur tecum fortuna?* Da. *Ita ſperare iuſſus ſum.* Pamphi.

Digitized by Google

Cane uel uide, ne lupus hians deludat. Dauus. *Ab isto non timeo, nam aurei montes mihi sunt promissi.* Pam. *Polliciti forte, sed nondum præstiti.* Dauus. *Certus sum, ac si accepissem.* Pam. *Fatue, quid loqueris?* Dauus. *Qui mihi promisit homo, fallere non solet.* Pam. *Est ipse tibi intus & in cute notus?* Dauus. *A pedibus usque ad uerticem mihi cognitus est.* Pam. *Spem igitur foues.* Dauus. *Pollicitus est mihi ultro.* Pam. *Promissa ultronea sæpe non dantur.* Dauus. *Cur minus dantur quàm precata?* Pam. *Quia uulgò dicitur, Promisisse sat est, præstare opus non est.* Dauus. *Spe uiuam, hominem ipsum exploraturus.* Pam. *Ita facito, sed interim eum sæpe moneto.* Dauus. *Crebrius monere molestum reddit, cui supplicatur.* Pam. *At ueteri prouerbio, Bona nomina nonnunquàm fiunt mala, si nunquàm interpellas.* Dauus. *Dicterio isto quid significatur?* Pam. *Obliuisci nostri, si nunquàm interloquimur, amicum.* Dauus. *In dies conspectui istius obuersor.* Pam. *Fias uoti compos, precor.* Dauus. *Si promissa factis mihi æquentur, efficiar egregium.* Pam. *Tum me non agnosces.*

De Omasis vicinis deportandis, post bouem mactatum.

EVSEBIVS, & THYLMANNVS.

QVò uadis? Thyl. *Hanc patinam latum amicis.* Eu. *Quid in ipsa geris tecti?* Thyl. *Quippiam opipari.* Eu. *Sine aspiciam quid sit.* Thyl. *Quid uidere tibi proderit?* Eu. *Fortè omasa sunt & farcimina.* Thyl. *Ea ipsa sunt, aspice.* Eu. *Feres ipsa uni domui?* Thyl. *Diuiderem, quum modica sunt?* Eu. *Tantum carnis & ego boni consulerem.* Thyl. *Tibi iniuratò do fidem.* Eu. *Num & me intestinorum portiuncula donabis?*

Digitized by Google

bis? Thyl. *Si pusillum tibi gratum esset, à parentibus buccellam unam aut alteram intestinorum bouillorum impetrarem tuæ gulæ.* Euseb. *Farcimine etiam admodum exiguo me delectare poteris.* Thyl. *Non tantùm farcimine te donabo, sed & omasorum duobus uerubus.* Euse. *Bellè promittis, si præstares facto.* Thyl. *Vt primùm domum rediero, matrem rogabo tuo nomine.* Euseb. *Mei gratia nemini sis molestus.* Thyl. *Hoc non metuas, adamat omnes qui mihi sunt socij.* Euseb. *Si potes, egestati meæ subuentas.* Thyl. *Faciam, uide ut domi sis.* Euseb. *Digitulo appulses ianuam, ubi ueneris.* Thyl. *Tum & actutum aperi.* Euseb. *Confestim aperire soleo afferenti.* Thyl. *Occludésne ostium petenti?* Euseb. *Istius pulsare non audio.* Thyl. *Vnde percipis pulsantem uel afferre, uel exigere?* Euseb. *Per rimulam ianuæ uideo quis homo sit.*

De Conuiuio opiparo & lauto.

HOSPES, & CONVIVAE, & PVER.

Acceptus est mihi uester aduentus. Con. *Gratia tibi sit ô hospes.* Hos. *Perplacet, quòd in tempore adestis.* Con. *Gaudemus.* Hos. *Hybernaculum ingredimini.* Con. *Non admodum frigemus.* Hos. *Aequè intus, ac hic in frigido erit.* Con. *Obsequemur tuis iussis.* Hos. *Si cupitis, feruidius instruetur fornax.* Con. *Non: nam calet temperatè.* Hos. *Ipse nequeo ferre, dum nimio calore æstuat.* Con. *Insalubre etiam est.* Hos. *Mox erit coquinæ ministra parata, tum edulis onerabimus mensam.* Con. *Nil properes nostra causa, non uehementi premimur fame.* Hos. *Feram bolũ aliquem, unde proccenium facietis.* Con. *Ah, noli, tum prandere cupidè nobis non licebit.* Hos. *Parebo. Lauetis manus, & accumbite*

Digitized by Google

mensæ. Con. *Discumbe tu prior, ut decet.* Hos. *Domi meæ sum, stabo uel assidebo mensæ.* Con. *Aduenias tamen nobis.* Hos. *Consecra cœnam puer.* Puer. Benedicite. Con. Dominus. Puer. Quicquid appositum est & apponetur, per verbum Dei sanctificetur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Con. Amen. Hos. *Nunc uos amici, hæc attingite obsonia, & eorum utilitatem boni consulite.* Con. *Sunt hæc uilia? principis decerent patinas & conspectum.* Hos. *Sunt talia, quæ plebeiorum focus fert, & infimæ fortunæ homines edunt.*

De conuiuio tenui & frugali.

HOSPES, PVER, & CONVIVAE.

SErue carne adductum conuiuas. Puer. *Facesso iussum.* Hos. *Dic instructa omnia.* Puer. *Exequar.* Hos. *Et ut maturent gressus.* Puer. *Iubebo.* Hos. *Meos expectare nuntia.* Puer. *Faciam.* Hos. *En mi conuiue, gratulor uestro aduentui.* Con. *Habemus tibi gratiam.* Hos. *Cur tam serò adestis? quid uos detinuit?* Con. *Timuimus nondum hîc instructum esse prandium.* Hos. *Omnia diu extructa fuêre.* Con. *Tam sero quòd adsumus, tibi tamen non displiceat precamur.* Hos. *Non stomacho meo amarum fuit.* Con. *Cur non iacebaris?* Hos. *Credebam uos semper propediem affuturos.* Con. *En, iam adsumus ipsi.* Hos. *Gaudeo, si diutius emansissetis, edissem.* Con. *Nunc alacrius prandebis nobiscum.* Hos. *Prædico uobis mi Conuiuæ, tenuis hic erit ciborum apparatus.* Con. *Facilè contenti erimus obsoniis, non uulturis ac lupi stomachum habemus.* Hos. *Patina olusculi & porcina carne uos tractabo.* Con. *Nihil super istud expetierimus.* Hos. *Aqua igitur manus abluite, & quisque mensæ*

assid

ussideat. Con. *Faciemus ut iubes.* Hos. *Prælegamus nũc hymnum.* Con. *Ipsum enarra hospes, nos respondebimus.*

De Aubus, Columbis, & Piscibus capiendis.

GEORGIVS, & VALTERVS.

QVid negotij tibi fumis à labore literario? Valter. *Aues, columbas, & pisces insequor.* Geor. *Insequeris tu ista? non usque libris infidas?* Valt. *Nequeo semper incumbere chartis.* Geor. *Proficies in literis, timeo, nunquàm.* Valt. *Augur aberis spero falsó.* Geor. *Memoriæ teneas quod tibi uaticinor.* Valt. *Elaborabo ne uerax sies.* Geor. *Vulgatum audisti ne Proverbiũ?* Val. *Quod?* Geor. *Per auium, piscium & columbarum studia, multa interiisse ingenia.* Valt. *Sæpissimè audiui, non tamen assensi.* Georg. *Non conuenit simul insequi aues & pisces, ac literas amplecti.* Valt. *Dum otiamur à lectionibus, licebit talia quandoque agere.* Georg. *At tu nimis sæpe aues & columbas, rarò libros tractas.* Valt. *Hoc me plus delectat.* Geor. *Verùm minus proderit, nam seas timeo à labore literario.* Valt. *Profero aucupium & piscationem.* Geor. *Serus uide ne sapias.* Valt. *Satis sapio mihi, non opto Catonis prudentiam.* Geor. *Viue tuo more, nolo tibi esse tutor.* Valt. *Non intermitto penitus studium literarium, ut tu æstimas.* Geor. *Animum oportet habeas liberum, non talia cogitantem, si profectum eruditionis desideras.* Valt. *Sentio quòd quicquid ago, cogito de piscibus.* Geor. *Literis solum te dedas, & istas desere nugas.* Valt. *Aegrè possum, at tamen conabor.*

De Balneis ingrediendis.

PETRVS, & HERMANNVS.

VT ita oles hircum? Her. *Arguis me fœtoris Beanorum?* Petr. *Non Beanum te uoco, sed graviter*

Digitized by Google

oles. Her. Fortè pituita laboras. Petr. Sordes tanquàm diu balneis non interfuisses. Her. Balnea ut Syrenes fugio. Pet. Maléne tibi cum balneis conuenit? Her. Scabie infectus sum, ideo uereor conspici nudus. Pet. Tanto crebrius te ablueres, quò purgareris. Her. In balneis non omnes purgantur. Pet. Quî non? Her. Multi ingressi mundi, exeunt ulcerosi. Petr. Scabiem tamen plerunque isthic tollunt homines. Her. Credo, sed & deridetur, & uitatur ab omnibus scabie confectus. Petr. Mallem istud deridere ferre, quàm semper scabie affligi. Her. Facilè consilium præbes (sententia Terentij) quia tu cute purus es. Petr. Consulo tibi, quod & ego agerem. Her. Vereor apprimè conspici scabiosus. Pet. Frontem perfrica, ac mihi in balneũ congredere mea crumena. Her. Exoluues tu lotionis meæ symbolum? Pet. Promitto, immunis meo balneabis ære. Her. Congrediar, posthac, & te ab impendio balnei habebo liberum. Petr. Id non expeto, accinge ut coëamus. Her. Ibo prius domum, indutum interulam mundam uel lotam. Petr. I propere, hîc in ædibus te manebo. Her. Mox rursus adero. Petr. I Pegaseo gradu, & uorans uiam.

De pestis fæuitia.

ARNOLDVS, & THEODOLVS.

CVr iam à patria exulas? Th. Patriam iam fugio, ut aues auernum. Arn. Quomodo istæ auernum fugiunt? Theo. Auernus locus est, quem propter fœtorem nequeunt aues incolere. Arn. Fugis tu etiam ita nunc sõlum tuum natale? Theo. Vtique. Arn. Quî fit istud? Theo. Quia ibi nunc fœtor pestifer imperat. Arn. Ah, tu perfide. The. Perfidiæ quid me insimulas? Arn. Tu peruerse Menalca, qui deseris in miseria patriam. Theo

Traber

Traherem ibi moram, ubi de meo capite ageretur? Ar. *Amicus in neutra est deserendus fortuna.* Theod. *Infacias non eo, tamen sibi ipsi est cauendum.* Ar. *In Amicitia uera, cura propria non est amico præferenda.* Theod. *Credo: sed tamen genu cruri propius est.* Ar. *Iuuares consolando amicos peste infectos.* Theod. *Sat isthic habent consolatorum ex cucullatis monachis.* Ar. *Adsunt ibidem ægrotis monachi?* Theod. *Ita, ordinis sancti Alexij, non autem sacerdotes sunt.* Ar. *Sunt etiam illi infirmis mulieribus præsto?* Theod. *Mulieribus adsunt moniales, siue uirgines uestales.* Ar. *Sæuit apud uestrates adeò atrociter pestis?* Theod. *Homines in dies agminatim moriuntur.* Ar. *Quanta funerum in dies est turba?* Theod. *Nonnunquàm una die uiginti condiebantur humo me præsente.* Ar. *Miserum & lamentabile est spectaculum, tot sepelire eodem tempore.* Theod. *Extremum tristitiæ est illis, quorum amici animam agunt.* Ar. *Istud expertus sum, dum mei parentes ulta defungebantur.* Theod. *In paterno meo solo homines penitus erant consternati animis.* Ar. *Quis animo non esset perturbato, dum periculum capitis adest?* Theod. *Satius tamen est in cuicitrà, quàm alio mortis genere occumbere.* Ar. *Vergilius eos uocat terque quaterque beatos, quibus contigit Troiæ ante ora patrum mori.* Theod. *Istud ex oraculo Apollinis protulit dictum: nam mortem leuat patria & amicorum præsentia.*

De Bellorum incommodo.

MARTINVS, & VALERIVS.

O *Quàm miserè ista natio est deuastata!* Val. *Vnde ista miseria?* Mar. *E bellorum tyrannide.* Val. *Solet bellum tantum afferre ruinæ?* Mar. *Reparat nihil,*

sed omnia sõlo æquat. Val. O rem execrabilem. Mart. Pacis est quæq; salua reddere, ita belli omnia dissipare. Val. Longè (ut uideo) præstabit pace frui. Mart. Experientia istud persuadet. Val. Felices terque quaterq;, qui armis nunquam obruuntur. Mart. Bellum agendi quis tamen autor extitit? Vale. Nullus nisi Eumenides & furiæ. Mart. Ego æstimo eos esse autores, qui primi belli inuenerunt tormenta. Val. Haud malè iudicas. Mart. Sed apud quam nationem illa sunt exorta? Val. Aiunt in Germania. Mart. A nostris Germanis multa mira sunt reperta. Val. Tamen illa tormenta præstaret nunquàm excogitata. Mart. Res bellica etiam crebrò armis & satellitibus, non istis geritur ferocibus instrumentis. Val. Arma & satellites urbem soli non expugnarent. Mart. Obsiderent tamen, & tandem esurie uincerent eam. Val. Fortè & ipsi fame cõpulsi demum abirent ante victoriam.

De annonæ caritate.

DAVID, & LVCAS.

QVid sibi uult macies ista tua? Lu. Quòd macer appareo, mirum non est. Da. Fortè pasceris aridè & tenuiter. Lu. Tenacissimè alunt me parentes. Da. In rem tuam fortè faciunt. Lu. Est illud commodum, parcè ali? Da. Libris incumbenti non conuenit saturitas. Lu. Certè & uenter ieiunus chartis non gaudet. Da. Cibus mediocris commodat literis dedito. Lu. Eo contentus essem, si daretur. Da. Cur tam modicum tibi præbent cibi? Lu. Ob annonæ caritatem. Da. Est ideo ieiunandum, quia omnia ueneunt carè? Lu. Est, egenti pecunia. Da. Nobis adhuc in annum de frugibus prospectum est. Lu. Feliciores nobis estis. Da. Quanti nunc

uenit

uenit fidigo? Lu. *Aureo numo credo.* Da. *Tolerandus adhuc est iste mercatus.* Lu. *Certè non inopibus, sed opulentis.* Da. *Audiui in Gallia in quadam urbe uendi quinq; coronis (ut uocant) aureis.* Lu. *Hui, mentiris nimium.* Da. *Inde huc scriptum est.* Lu. *Per quem?* Da. *Per filium cuiusdam Senatoris huius urbis.* Lu. *Nollem me istic nunc temporis agere.* Da. *Et ego lætor me istic præsto nõ esse.* Lu. *Gratia Deo, quòd hîc adhuc esse tolerando tenditur.*

Quàm delicatè in oppidis, & quàm miserè ac tenuiter victitent in agris.

EOBANVS, & ADELARIVS.

O *Magne Apollo, quàm inique inter homines uiuitur!* Adel. *Vt istud conicis?* Eob. *Nam multi delicatè, aliqui tenuiusculè uictitant.* Adel. *Es tu expertus fortunam uitæ aliorum?* Eob. *Res ipsa loquitur passim.* Adel. *Apertum istud loquere.* Eob. *Rustici ut edant, uidistin'?* Adel. *Vidi, pulmentis ordeaceis pascuntur.* Eob. *Vrbani autem omni utuntur ciborum lautitia.* Adel. *Aliqui eorum nudum rodunt panem.* Eob. *Quandoque tamen curant cuticulam & uiuunt genialiter.* Adel. *Vt possunt illud, cùm æs ipsis desit?* Eob. *Vestes uel alia oppignerant.* Adel. *Tum oporteret eos nudos incedere.* Eob. *Domi se continent, quousque redemerint.* Adela. *Fortassis accommodatis indumentis utuntur.* Eob. *Nonnunquàm certè, uel æs credito accipiunt, unde redimant uestes.* Adel. *Tum uorsuram soluunt.* Eob. *Quid est uorsuram soluere?* Adel. *Est creditorem soluere pecunia credita accepta ab alio.* Eobanus. *Viuitur adeò opiparè & magno in urbibus?* Adel. *Vtique, quicquid labore acquiritur, festo die prodigitur.* Eob. *Quo uictitant deinde diebus operosis?*

Ad. *Pane & raparum quisquiliis.* Eo. *Stulti homines, qui crapula famem emunt.* Ad. *Ipsi super Chœnice non sedent.* Facilè emergere eos, qui opulenti sunt.

MATTHIAS, & VERGILIVS.

Subitò iste in uirum euasit. Verg. *Dignum non est admiratione.* Matth. *Ego uehementer miror.* Verg. *Ego nihil, quia facilè potuit.* Matth. *Quî facilè potuit?* Verg. *Quia opulentus fuit.* Matth. *Emergunt illi omnes qui diuites sunt?* Verg. *Dubitas? ánne in dies istud uides?* Matth. *Pauperibus ut succedit?* Verg. *Iacent & pessundantur ubique.* Matt. *Prospice quid dicas.* Verg. *Dico Apollinis oraculum.* Matth. *Non rarò pauper in uirum euadit egregium, diues semper humi repit.* Verg. *Rarò uisum est quod dicis.* Matth. *Eruditorum turbam & classem aspice, omnes fermè inopes fuêre.* Verg. *Adiuti tamen aliorum opibus.* Matth. *Sæpe & sibiipsi opitulantur ingeniis & scientiis.* Verg. *Per illa ipsis applauditur ab opulentis.* Matth. *Phœnice rariorem reperies doctum, qui rerum est educatus copia.* Verg. *Quî illud fiat, admiror.* Matth. *Qui abundant, æstimant se non egere doctrina.* Verg. *Tales complures audiui suas iactitantes opes.* Matth. *Nonnulli etiam abundantes ære, scientia nequeunt pollere ob ingenij ruditatem.* Verg. *Verè dicis, nam non omnia Dij uni dedêre, uni ingenium, alteri opes, cæteris formam corporis uenustissimam, &c.* Matt. *Tanta uarietate mortales differre uoluit uerus ipse Iupiter.*

De Nuptiis.

HEREBERTVS, & HYLGERVS.

AD proximum diem festum indulgebo genio. Hyl. *Vbi locorum?* Here. *In ædibus nostris.* Hylge. *Habe*

Digitized by Google

Habebitis aliquid apparatum lautius? Her. *Conuiuium habebimus geniale & lautißimum.* Hyl. *Tantos cur fa cietis sumptus?* Her. *Nuptiæ peragentur domi nostræ.* Hyl. *Inter quos erit uinculum maritale?* Her. *Inter so rorem meam, & filium alterius ciuis.* Hyl. *Sponsus éstne locuples?* Her. *Neſcio, arculam ſuam non ſum explora tus.* Hyl. *Quantam dotem afferet?* Her. *Aiunt, duo millia aureorum.* Hyl. *Ho, bo, ſatis abundat.* Her. *Con tenta eſt ſoror mea dote iſta.* Hyl. *Quantam ipſa afferet?* Her. *Neſcio, mihi non retulerunt parentes.* Hyl. *Du ces tu ſponſam?* Her. *Ad templum ducam, ſed non rurſus educam.* Hyl. *Qui tum ſunt educturi? uel immorabitur uſque Eccleſiæ?* Her. *Cognati ipſius ſponſi, cui in tem plo committetur in manus.* Hyl. *A prandio habebitiſne choreas?* Her. *Saltemus mirè ad tibiam & tympanum.* Hyl. *In tanta lætitia & mei recordêris.* Her. *Venias ad nos, impartiam tibi quippiam lauti è ſponſa.* Hyl. *E ſpon ſa nihil cupio.* Her. *Hem, lapſus ſum lingua, è nuptiis di xiſſem.* Hyl. *Naſum tuum noſco.*

De Vino dando in illius ſancti die, cuius nos nomen gerimus.

NICOLAVS, & IOANNES.

VT præſentes tibi ſint numi facito. Io. *Præſenti quid agam pecunia?* Nic. *Iſtud experieris.* Io. *Quando experiar?* Nic. *Die feſto illius ſancti, cuius nomen refers.* Ioan. *An tum plus egebo ære quàm nunc?* Nic. *Sumptum oportet facias.* Ioan. *Quas haberem expenſas?* Nic. *Pendes uinum ob tuum nomen, quo iſti ſanct o es cognomi nis.* Ioan. *Spem fruſtra fouebis.* Nic. *Recuſabis nónne & ego nomen meum uino celebraui?* Ioan. *Potationi*

ego

ego autem non adfui. Nic. *Si præsto fuisses, combibisses, non potuimus te expectare.* Ioan. *Iniquum esset, me tingere te uino, quum tuum non degustaui.* Nic. *Anno ab hinc proximo largius bibe, ubi redierint feriæ sancti illius, cui nomini ego consono.* Ioan. *Incertus sum an uita superstes manebo.* Nic. *Dabis uinum nécne?* Ioan. *Experiemini, ubi dies ille aduenerit.* Nic. *Memores erimus, non obliuiscemur.* Ioan. *Præter binas uini mensuras dabo nihil.* Nic. *Sat erit ultrà non postulantibus.* Io. *Vnde exortus sit mos ille, miror maximè.* Nic. *Ex Gentilium consuetudine, qui solebant diem natalem conuiuando celebrare.* Ioan. *Verisimile est, nam multa uestigia Ethnicorum nostræ consuetudines referunt.*

De primo Sacerdotis sacrificio.

BONIFACIVS, & BRICTIVS.

QVando *sacris initiaberis ordinibus?* Bric. *Proximo Paschate spero.* Bon. *Est tibi matura ætas?* Bric. *Ago nunc annum uigesimumquartum.* Bon. *Ordinibus suscipiendis isti conueniunt anni.* Bric. *Ætas mihi tanta est, uerùm minor sapientia.* Bon. *Addisce tandem spargere nuces, si hactenus puerum egisti.* Bric. *Ad uires laborabo.* Bon. *Census quid habes, cuius ope uiues in ordinibus sumptis?* Bric. *Parentum uiuam prædiis.* Bon. *Potes de illorum opibus sacerdotis ducere uitam?* Bric. *Confido, nam unicus sum filius.* Bon. *Ipse nollem ordinibus sacris initiari, si sacerdotij nihil mihi esset.* Bric. *Eleemosynarum non sum cupidus.* Bon. *Etiam præter sacerdotis uitam possès patrimonio uti?* Bric. *Possem, at sacerdos effici ardeo.* Bon. *Nunc temporis miserrimè est sacerdotem esse.* Bri. *Cur est calamitosum?* Bon. *Quia passim odio persequuntur ab his, qui Luthero accedunt.*

Bric.

Digitized by Google

Bric. *Id si ferent æquo animo, magnam accipiet mercedem.* Bon. *Explodunt quibusdam in locis, tractantur ut ludæi forent.* Bric. *Omnium rerum est uicissitudo: sic & illud tandem cessabit.* Bon. *At fortassis serius quàm proderit.*

De exequiis defunctorum peragendis.

BERNARDVS, & LEORNARDVS.

HOdie *rursus Ecclesiæ nostræ plebeiarius messem suam exercebit.* Leorn. *Non est tamen messor uel agricola.* Bern. *Plures metunt, qui tamen agricolæ non sunt.* Leor. *Nunquàm uidi etiam doctum hominem metere.* Bern. *Aliud mihi significat metere, quàm tibi.* Leor. *Quid per ipsum uerbum intelligis?* Bern. *Metere, id est, commodum & lucrum accipere.* Leorn. *Melius te nunc capiam loquendo.* Bern. *Plebeiarius noster hodie metet in altari oblatam pecuniã.* Leor. *Fiet hodie tanta immolatio numorum?* Ber. *Exequiæ agentur cuidam meorum cognatorum.* Leor. *Intereris etiam & tu?* Ber. *Præsto ero, & cum aliis meos altari offeram numulos.* Leorn. *Quot numorum receptum est immolare?* Bern. *Tres, in tribus altaribus.* Leorn. *Retinet pastor sibi istud solis* Bern. *Cum Sacellanis (credo) partitur.* Leorn. *Quanti constabit candelarum emptio?* Bern. *Conducimus eas, & quantum combusserimus ceræ, tantum exoluemus.* Leorn. *Præter ista quid Plebeiario datis?* Bern. *Incertum est mihi, sat scio pecuniæ.* Leorn. *Ditescere eum oportet.* Bern. *Nunquàm aliquem sortis suæ audiui, qui se non egêre diceret.*

De sepultura.

EBERHARDVS, & IODOCVS.

CAndelæ *per fenestras extensæ quid portendunt?* Io. *Cadauer hominis ædibus interesse.* Eberh. *Apud nostra*

noſtrates iſtud moris non eſt. Iodoc. *Nullo ſigno præ-tereunti oſtenditur in domo defunctum iacere hominem?* Eberh. *Oſtium patet, & in domo cum candelis ardenti-bus ponitur funus.* Iod. *Cuique nationi ſuus eſt ritus.* Eberh. *Eminine omnes iſtas candelas, quas feneſtris ex-tendunt?* Iod. *Conducunt eas, non mercantur.* Eber. *Quanti?* Iod. *Quamlibet ſolido opinor.* Eber. *Præfe-runtur funeri ad ſepulchrum?* Iod. *Etiam & accenduntur.* Eberh. *Sepultura quanti hic conſtat.* Iod. *Certè maximo ære.* Eber. *Dic mihi cur ſepultura ſit adeò pre-tioſa.* Iod. *Terra cœmeterij emenda eſt, qua corpus con-ditur.* Eber. *Illa à quo uenditur?* Iod. *Puto, à plebeia-rio, uel ædituo.* Eber. *Qua fronte audent terram uen-dere?* Iod. *Quid ni auderent?* Eberh. *Ad ipſos non pertinet, cur tum aliena uenditant?* Iod. *Cuius eſt humus, ſi non ipſorum eſt?* Eber. *In Pſalmo ſcriptum eſt? Domini eſt terra, & plenitudo eius.* Iod. *Si eſt Domini, ergo & paſtorum, quia Domini ſunt uicarij.* Eber. *Quod Do-mini eſt, non ære, ſed precordiis deuotis impetratur.* Iod. *Precibus etiam plebani cœmeterium uendunt, ſed pecu-nia addita.*

De anno Iubilæo.

PASCHASIVS, & ALEXIVS.

ACcingam me hac hyeme profectioni longiſſimæ. Alex. *Quò diriges greſſus?* Paſc. *Romam uerſus.* Alex. *Impetratum fortè ſacerdotium fertile?* Paſc. *Mi-nimè: ſed depoſitum iſthic peccata, pergam.* Alex. *Depo-ſiturus es ibi delicta?* Paſc. *Confeſſore ſpero.* Alex. *Fidem non habeo.* Paſc. *Non fit tibi ueriſimile?* Alex. *Dicis iſtud tuo ingenio, uel ab alio relatum habes?* Paſc. *In li-teris Pontificis Romani ita legi.* Alex. *Quid cõtinebant?*

Paſc.

Digitized by Google

Pasc. *Cuilibet uerè pœnitenti, & Romam hoc anno accedenti, condonari scelera & pœnam.* Alex. *Istud & in his terris consequi potes.* Pasc. *Quî hoc fieret?* Alex. *Vbicunque locorum homo pro suis ingemuerit peccatis, remittuntur ipsi, ut Euangelij fides nos instruit.* Pasc. *Si istud Euangelium promittit, tum hîc domi me continebo, & sumptibus parcam.* Alex. *Verùm, nosti originem anni Iubilæi?* Pasc. *Audiui exortum istum morem celebrandi annum Iubilæum à ueteribus Iudæis, apud quos quinquagesimus quisq; annus sacrosanctus habebatur.*

De tempore quo librorum lectiones auspicantur.

GREGORIVS, & AMBROSIVS.

HO, *ho, sodales optimi, cor nunc est comedendum nobis.* Amb. *Delirásne?* Greg. *Cur delirarem?* Amb. *Quòd cor esse nobis comedendum dicis, in nobis inclusum?* Grego. *Prouerbij uicem habet, significans contristari.* Amb. *Est nunc mœrendi tempus?* Greg. *Latet uos istud?* Amb. *Ignoramus, fac tu nos certiores.* Grego. *Appetit tempus, quod nos à matre rursus in exilium uocat.* Amb. *Quò?* Greg. *Ad peregrinas urbes, nam lectiones auspicabuntur ilico.* Amb. *Aliò concedens, ne tantillum flere soleo.* Grego. *Sed ego lugeo affatim.* Amb. *An ob digressum à matre?* Grego. *Non, sed ob discessum à lauta culina.* Amb. *Coquinam semper iuxtà opiparam non optarem.* Greg. *Alienis in terris est mihi precaria dape uiuendum.* Amb. *Id dulce est pati in iuuentute, ut in senio abundemus.* Gregor. *Isto pati mallem carere.* Amb. *Hæc olim dulce & iucundum erit meminisse.* Grego. *Multum caseorum & carnis porcinæ mecum profecturus deferam.*

Ambr.

Amb. *At ego opimam æve crumenam malo.* Greg. *Parcè mihi æs præbent parentes.* Amb. *Timent ne prodigam.*

De tempore quo lectionibus librorum colophon imponitur.

LVCIVS, & VDALRICVS.

IN *articulis quid tecum computas adeò solicitè?* Vdal. *Dies quot restant ad ferias dui Bartholomæi?* Luc. *Etiam si scires, conferrétne tibi?* Vdal. *Exhilararet oppidò, si istæ adessent feriæ.* Luc. *Eloquere cur, ut tibi congratuler.* Vdal. *Ad umbilicum tum ducuntur scholæ lectiones.* Luc. *Optimum esset eas & nostro inhærere ingenio.* Vdal. *Id flocci pendo.* Luc. *Remigrabis tu patriâ uersus?* Vdal. *Nisi aliud literis iusserint parentes, hic non durabo.* Luc. *Vestiêris recéns?* Vdal. *Ista spe uiuo.* Luc. *Sed age, libri suntne penè finiti.* Vdal. *Non longè abest, Plaudite.* Luc. *Plaudite quid uocas?* Vdal. *Id est, finis in quo plaudimus libris.* Luc. *Audisti unquam eam sam, cur pulsemus libris, dum sunt perlecti?* Vdal. *Facilè liceat coniicere quæ sit.* Luc. *Coniectura ego nequeo assequi.* Vdal. *Ex more lusus Comœdiarum credo ortum.* Luc. *In ludo Comœdiarum quid fieri solet?* Vdal. *In fine comploditur manibus.* Lucius. *Vis conferre scholæ lectiones ludo Comœdiarum?* Vdal. *Quid ni? lectores sunt actores, nos spectatores, libri uerò Comœdiæ.* Luc. *Hactenus credidi per librorum ad caput allisionem cerebro scientiam imprimi.* Vdal. *Ah, nimium deliraſti.*

De Ebrietate vitanda.

DEMEA, & HELVO.

PVdétne te hominem inebriari, & in bestiæ degenerare mores? Hel. *Pudet utique, sed uitare nequeo.*

Dem.

Dem. *Mirum esset si cauere non possis.* Hel. *Per Pollucem non queo.* Dem. *Auscultare si uelles, docerem te uitandi modum.* Hel. *Age parêbo.* Dem. *Fugias haustus ingentes.* Hel. *Vix potero.* Dem. *Nequis istud, saltem paucos bibas.* Hel. *Pauci exorpti calices non opprimunt (credis) hominem?* Dem. *Haud facilè. nisi immodicum contineat potus.* Hel. *Quot cyathos mihi permittis exicandos?* Dem. *Ternarium caue transgredi.* Hel. *Hui, nimium palatum meum fraudare conaris.* Dem. *Audisti nunquàm uerbum (ni fallor) Thaletis Philosophi? Primam crateram ad sitim, secundam ad hilaritatem, tertiam ad uoluptatem, quartam ad insaniam pertinere.* Hel. *Antiqui abeant, sequamur tempora nostra.* Dem. *Si à mea aberraueris sententia, bestiam indues.* Hel. *Fierem ob id bestia, si potu maderem?* Dem. *Moribus non hominem, sed bestiam præ te feres.* Hel. *Ah, tace, probi sunt homines, qui inebriantur.* Dem. *Habentur isti probi, quo autore?* Hel. *Vulgo ipso quod dicit, Sceleſtos non audere potu madêre.* Dem. *Ita aiunt populares, non tamen nimium & ebrios laudant.* Hel. *Tamen ipsis delectantur, & ab eis risum captant.*

De Cereis gerendis in festo Purificationis Mariæ.

THEOPHILVS, & GERMANVS.

QVò *te confers?* Germ. *Forum uersus.* Theo. *Obsonatúmne?* Germ. *Non.* Theo. *Executum aliquid negotij?* Germ. *Mercatum candelam ceream.* Theo. *At in quem usum?* Germ. *Vt cras eam in templo feram.* Theo. *Adulterorum est candelas ferre.* Germ. *Alio modo autem lapidibus additis.* Theo. *Quantũ emes cereum?* Germ. *Vnius talenti.* Theo. *Sufficeret semilibræ.*

bræ. Germ. *Inter alios puderet me minutiorem gerere candelam.* Theo. *Vt audio, tua candela uideri cupis.* Germ. *Cupio, sed ad honorem Mariæ uirginis, non meum.* Theo. *Plus placet Deo cor humile, quàm celebris pompa.* Germ. *Animo pio in Deum facio, quicquid agam.* Theo. *In manibus ego tenebo candelam sebaceam, non ceream.* Germ. *Nulla solet deferri, nisi cerea, sed prouerbium est: Pauperes & uilia offerunt. Verùm solido mercaberis cereum lumen.* Theo. *Locupletius orabo Mariæ uirgini.* Germ. *Attamen consuetudini non satages.* Theo. *Malo placere Deo, quàm hominibus.* Germ. *Platonis tamen uerbum est, oportere placere hominibus.* Theo. *At contrà, diui Pauli uerbum est, Si hominibus placerem,* CHRISTI *seruus non essem.* Germ. *Istud intelligitur in factis malis, non bonis.*

De Sertis in die celebri ferendis.

KILIANVS, & MARCVS.

Ancillæ uestræ quid à prandio agent? Mar. *Quare sciscitaris?* Kil. *Est cur quæram.* Mar. *Audiam, tum respondebo.* Kil. *Capitis sertum mihi concinnarent.* Mar. *In foro uenustius emes.* Kil. *Mercari non soleo nugas istas.* Mar. *Et nos rosas tibi non donabimus nihilo.* Kil. *Sat florum tamen nobis in horto sunt, qui pereunt.* Mar. *Isti mihi hac æstate uix coronas præbebunt.* Kil. *Vna uestrarum ancillarum mihi sertum debet.* Mar. *Debet, dic unde?* Kil. *Ex promisso mihi facto.* Mar. *Sufficit promisisse, reddere non oportet.* Kil. *Si nequeo roseceum sertum consequi, ex frondibus unum conficiam.* Mar. *Receptum non est, tales gerere coronas.* Kil. *Morem ipse mihi ita faciam.* Mar. *Noui moris auctor exibilatur passim.* Kil. *Spero quòd ancilla uestra*

me

Digitized by Google

me non deseret. Mar. *Faciam ut te donet rosis, tu deinde sertum connecte.* Kil. *Aut unum in foro mercabor.* Mar. *Solido ibidem emes.* Kil. *Tribus numis comparabo mihi sat pulchrum.* Mar. *Laborabo quo te uenustius habeam.* Kil. *Non pudet me in talibus nugis superari.* Mar. *Ego malo pulchrior, quàm deformior conspici.*

De Conuiuio inter ceruisiæ barathra celebrando.

STROPHILVS, & LYCONIDES.

SAluus sis sodalium meorum optime. Lyc. *Quid adeò blandè me appellas?* Strop. *Quia diu mihi uisus non es.* Lyc. *Neque tu mihi.* Strop. *Latuisti semper domi instar testudinis.* Lyc. *Domi raro fui, semper foris negotia parentum executus sum.* Strop. *Tanto in tempore cur me non salutasti?* Lyc. *Licuit mihi nunquàm per occupationes.* Strop. *Resarciemúsne intermissam amicitiam & sodalitatem?* Lyc. *Ad tuum nutum obsequar.* Strop. *Id ego ferrem consilij, ut compotaremus pauxillulum.* Lyc. *Renitar nihil.* Strop. *Potatioremne domum aliquam nosti?* Lyc. *Rarus soleo esse aliorum compotor, quòd tabernas nescio.* Strop. *Mihi est compertum, ubi bibuli scholastici latêre solent.* Lyc. *Forte & frequens ipsis ades.* Stro. *Interdum, cùm per crumenam licet.* Lyc. *Non te immunem poculis tingunt?* Strop. *Pari asse impendium soluo.* Lyc. *Non donarent te pauperem symbolo?* Stro. *Vis scire ubi sit situm diuerticulum nostrum ceruisiarum?* Lyc. *Percupio.* Strop. *In platea (quam uocant) Ouium.* Lyc. *Tranquillum & solitarium locum egistis.* Stro. *Latebris solemus gaudere.* Lyc. *Id prudentiæ est.* Str. *Concedamus istuc uisum an aliquot nostrûm ibi pocula tractant.* Lyc. *Congredior.*

Digitized by Google

De Conuiuio vicissitudinario, quod sacerdotes inter se agunt.

BVRCHARDVS, & CONRARDVS.

Domu uestræ cur adeò lautus instruitur focus? Con. *Conuiuium nobiscum agetur festiuum.* Bur. *Qualenam erit illud?* Con. *Nequeo Latinè reddere.* Bur. *Effare ut potes.* Conrar. *Canonici inter se conuiuium agunt, quod à serto capitis uocitant.* Burch. *Scio, Conuiuium uicitudinarium Latinè dices.* Conr. *Quare?* Burc. *Quia per uices, nunc ab hoc, nunc ab illo sumptus ipsius fiunt.* Con. *Verum est, alternatim faciunt impendia.* Burc. *Fiet istud ære tui domini?* Con. *Fiet, quia ordine sequitur eum, qui ultimò expensas dedit.* Burc. *Quanti constabit credis prandium istud?* Con. *Insumet fortè decem aureos numos.* Bur. *Hui tanti?* Con. *Et alij suo tempore non minus in obsonijs exponunt.* Bur. *Exporrigunt etiam frontem basilicè?* Conr. *Omnibus numeris sese exhilarant.* Burc. *Edunt etiam carnes ueru paratas?* Conr. *Carnem elixam ac assam simul, & uinum, & hornum, & bimum.* Bur. *Quàm crebrò istud conuiuium agunt?* Conrar. *Ni fallor quolibet mense.* Bur. *Quisque fortè semel est conuiuator?* Con. *Toties quoties numero succedit.*

Cur conuiuium istud instituerunt sacerdotes, vel alij.

ZACHARIAS, & FERDINANDVS.

Prouerbium uulgò est, Nihil sine causa. Ferdinan. *Quid tum?* Zachar. *Hoc mihi probatur maximè.* Ferd. *Etiam si detestari uelles, salua fronte non posses.* Zachar. *Conuiuij uicissitudinarij precor causam profer.*

Ferd.

Digitized by Google

Ferd. Vnde radices ceperit, facile est cognitu. Zac. Mihi est quàm ignotissimum. Fer. In conuiuiis sarcitur amicitia, nónne? Zac. Hercule non dissentio. Ferd. Et sarcitur solidius, sæpius inuicem conuiuando. Zac. Esset inde uicissitudo illa conuiuij nata? Ferd. Persuasum ita habeo. Zac. Vix mihi persuaseris. Ferd. Es adeò incredulus? Zac. Ad istud dictum difficilis sum fide. Ferd. Scrupulum in eo quem habeas, cedo. Zac. Scio, Vulgus amicitias utilitate probat. Ferd. Ita Horatius in Odis refert. Zac. Est Horatij uerbum, sed & uulgi probatum calculo. Ferd. Non inficiabor istum diligi unde commodum datur. Zach. Sed conuiuium illud incommodat conuiuatori, ideo non est ob amicitiam natum. Ferd. Canonici opulenti amicitiam non commodo, sed corde pensitant. Zach. Malunt tamen accipere, quàm præbere. Ferd. Dando etiam non sunt difficiles.

Exèmplo Sacerdotum, etiam conuiuiorum ineunt circulum.

GERARDVS, & HENRICVS.

SEniorum uita, audiui quondam, est iuniorum instructio. Hen. Debet esse, si fuerit bona. Ger. Si autem fuerit mala, quid tum fiet? Hen. Non erit imitanda. Ger. Vicissitudo conuiuiorum frequẽs Sacerdotibus éstne sequenda. Hen. Est, sed opulentis. Ger. Nobísne fugienda? Hen. Inopia nostra satis docet. Ger. Pulchrum tamen esset inter nos orbem agi conuiuiorũ. Hen. Quàm pulchrum fuerit ignoro, parum quæstuosum certé: Ger. Nescis ob sumptum pulchra non intermittenda? Hen. Fateor, pulchra & honesta. Ger. Non indecorũ est inuicem potitare modicé. Hen. Sed nequimus abstinere, ubi

Digitized by Google

amplexi fuerimus pocula. Geor. Ceſſabimus una aut altera epota menſura. Henr. Tum unuſquiſque uix labia humectaret. Geor. Ineamus precor fœdus agendi inter nos mutuas interdũ compotationes. Henr. At quis ſumptus feret? Geor. Viciſſim omnes. Henr. Quantum impendet potationis princeps? Georg. Exiguum: nam præter ceruiſiam & bolum panis (niſi liberalior fuerit) dabit nihil. Hen. Si uinum appeteremus, unde iſtud compararetur? Geor. Quiſque ſuo apponet nomine. Henr. Nunc conſentio.

De moribus Menſæ.

IVLIVS, & MORVS.

IVuenem exornat nihil quàm ingenij mores, dixit hodie præceptor noſter. Mor. E tripode locutus eſt. Iul. Hactenus credidi, plus ſcientia nos decoraret. Mor. Toto cœlo aberraſti. Iul. Pluris tamen conſtat ſcientia, quàm uirtus. Mor. Nonnunquam ſcientia facilius adipiſcitur. Iul. Sed ſine moribus probis, ſcientia nihil habet laudis. Morus. Neſcius ſum iſtis. Iul. Quantumuis peritus ſis, ſi moribus uacauerit candidis, nihili homo erit. Mor. Tantíne fiunt mores? Iul. Aeſtimantur magni ubiuis locorum, maximè tamen ad menſam. Mor. Ad lances ego frontem perfrico, morum omnium ignarus. Iul. Non pudet te abſque fronte eſſe hominem? Mo. Prouerbiũ uulgi ſequor: Ad menſam uerecundari decere neminem. Iul. Non ſatis intelligis dicterium illud. Mor. Quid ſibi uelit tu apertius dicas. Iul. Neminem à cibis debere abſtinere, iuxtà tamen, mores ſeruandi. Mor. Admones me hactenus ignoti. Iul. Nuſquàm magis, quàm ad menſam ruſticitas aduertitur hominis. Mor. Eſt'ne adeò facile ad menſam delinquere? Iul. Facillime, ſi uel indecorè bibe-

ris,

ris, comederis, uel cibum attigeris. Mo. *Posthac me instar assidentium geram, ne quid committam indignum.*

De feriis diui Blasij.

OSVALDVS, & PASCHASIVS.

IN *quem usum paras cuspidem illam?* Pasc. *Quasi tu nescires.* Osual. *Qui ego scirem tua negotia?* Pasc. *Id quod molior, commune hic locorum est.* Osual. *Age, & me istius certiorem redde.* Pasc. *Crastino die oculis cernes.* Osual. *Spectaculum fortè aliquod erit?* Pasc. *Spectaculum erit non ludi, sed cursus.* Osual. *Qui current, & quorsum?* Pasc. *Receptum est puerulos cras ostiatim curssitare.* Osual. *Quid ostiatim petent?* Pasc. *Aliquid muneris in diui Blasij nomine.* Osual. *Et quid precantibus erogatur?* Pasc. *Frustum carnis suillæ, uel panis triticeus unius teruntij.* Osual. *Vnde natus est mos iste?* Pasc. *Fugit me per Herculem.* Osual. *Coniicio eius originem.* Pasc. *Enarra unde æstimas.* Osual. *In templo memini me uidisse diui Blasij simulachrum.* Pasc. *At qua effigie uel forma?* Osual. *Habens caput porcinum baculo infixum.* Pasc. *Ista est uero similis coniectura.* Osual. *Ipse credo inde esse ortum morem quem dicis.* Pasc. *Origo sit quæcunq;, ego prædam me factu rum spero.*

De Eloquentia & Barbarie.

QVIRINVS, & ROMVLVS.

MIrum *est, quantum loquendo discrepant homines.* Rom. *Quomodo dissonant?* Quirin. *Vnus culte, alius fœtidè Latinè loquitur.* Rom. *Vnde ista sermonis diuersitas?* Quirin. *A uario præceptorũ genere.* Rom. *Non sunt præceptores eiusdem farinæ?* Quirin. *Ah, inter coruum & cygnum colore plus conuenit, quàm in-*

Digitized by Google

ter præceptores literarios. Rom. In quo dissimiles sunt? Quirin. In eruditione, peritus est unus, alter amusus. Romulus. Præceptor indoctus esse nequit, si instituit. Quirin. Magistratum præceptoris multi gerunt, sed prouinciæ non satagunt. Rom. Omnes discipulos docent. Quirin. Docere uarium est. Rom. Quomodo est uarium? Quirin. Aliqui docent uana, inutilia, & auditu iniucunda. Romu. Quæ uocas iniucunda auditu? Quirin. Latinum impolitum fortè in aliqua coquorum officina effectum. Rom. Talem sermonem nullus docet discipulos. Quirin. Ah, nunc mihi cerebrum excutis. Rom. Loquor ut qui ignorat. Quirin. De te uerè iudicas. Rom. Doceas tamen quid Barbaries sit, & quid eloquentia. Quirin. Barbaries est sermo, inculta habens uerba, & impolitam compositionem. Rom. Quid Eloquentia? Quirin. Est sermo ornatum habens tum uerbis, tum compositione.

An omne perdatur tempus, quod studio non impartitur, vt dixit Plinius.

STEPHANVS, & THEODORVS.

HIstorici, admiror an semper uera afferant. Theod. Istud credendum audaci animo. Ste. Tamen Græci à multis mendaciis arguuntur in historiis. Theod. Latinorum ego tutelam gero. Ste. Plinij iunioris uerbum fuit, id perire temporis, quod studio uacaret literario, credis tu illud? Theod. Non crederem? experior in dies. Steph. Aliud agendo nónne etiam bene collocant tempus homines? Theod. Audiam, quid operis putes. Ste. Potitando, edendo, & uentrem iuuando. Theod. Hoc aliud est nihil, quàm tempus perdere. Ste. Tamen inde commodũ sequitur corpori. Theod. Sed interim negligi-

tur

tur anima, quæ est nobilior. Steph. Qui manibus laborant artifices, perdunt isti etiam tempus? Theod. Id non reor. Ste. Tamen Plinius istud uidetur uelle. Theod. Plinius de literis deditis loquitur. Ste. Literarum alumni nequeunt semper incumbere chartis. Theod. Dic quando non? Steph. Dicam. Plinius Secundus in Epistolis dicit de Plinio iuniore, quòd tempus balnei eximebat studio: ergo & illud perdidit. Theod. Vanè loqueris: & si libros non tractabat, tamen semper de suis meditabatur scientiis. Ste. Fortè dicere uis, istud bene collocari tempus, quod in libris uel colloquiis de scientia teritur. Theod. Rem ipsam tenes.

Cum ætate esse sapiendum.

ANTONIVS, & BVRCHARDVS.

NOn pudet te adultum ita gerere? Burc. Quî agos? Anton. Instar pueri. Burc. Das id mihi uitio? Anton. Quis uitio tibi non adscriberet? Burc. Nescis, nemo ubiq; iuxtà sapit. Anton. Scio dulce esse quandoq; desipere in loco. Burc. Cur tum me increpas? Anton. Tu nunquàm non desipis. Burc. Vt sapiam me instrue. Anton. Si audire me uelis. Burc. Auscultabo. Anton. Duo sunt sapientiæ præcepta. Bur. Quæ illa sunt? Anto. Primum est, posse tacere. Bur. Alterum quod est? Anto. Discere quid sit loquendum. Burc. Ista memoriæ recondam. Anton. Sed scis quando, uel ubi tacendum? Burc. Non, & id me doceas. Anton. Tacendum est, ubi taciturnitas plus confert, quàm loquacitas. Burc. Istud præscire quis potest? Anton. Præmeditandum istud est, antequàm lingua moueatur. Burc. Quando loquendũ est? Anton. Dum taciturnitas est obstatura. Burc. Obéstne aliquando silere? Anton. Nescis, Amyclas tacendo perüsse? Burc.

A quo discam quid loquendum sit? Anton. *Sapientum aduerte uerba, & plus audias quàm loquare.* Burc. *Vix illa tenere potero.* Anton. *In mente habeas præceptum Periandri Corinthij, quòd meditatio totum continet.* Burc. *Posthac non hiscam, nisi enixè præmeditatus, quò uerba uergant.*

De nouis indumentis colloquuntur.

CAROLVS, & DANIEL.

HOdie me noscis, cras non agnosces. Dan. *Mutaberis in aliud animal?* Car. *Non, sed alio modo totus uariabor.* Dan. *Fortè incantamentis.* Car. *Non, sed uestitu nouo.* Dan. *Vestiêris recens.* Car. *Vtiq; nouus à talis usq; ad uerticem.* Dan. *Tuo ære uel parentum?* Car. *Parentũ, non meo sumptu.* Dan. *Quî id es meritus?* Car. *Diu est quòd polliciti sunt mihi.* Dan. *Cuius rei gratia?* Car. *Si uiderint me in literis progredi.* Dan. *Certè tui profectus sunt auidi.* Car. *Commodum meum plus quàm ego anhelant.* Dan. *Ista uera est parentum pietas.* Car. *Laborabo omni conatu, ut talis efficiar, qualem me cupiunt ipsi.* Dan. *Nunc tempus esset, ut nuces spargeres.* Car. *Cum isto recenti amictu feruidior fiam literarũ alumnus.* Dan. *Faxit id magnus Apollo.* Car. *Ludibrio tu habes quæ dico, sed meliora præstaturum me uidebis.* Dan. *Vt primùm uidero credam.* Car. *Ignoras muneribus illectari iuuenes ad studia?* Dan. *Horatij ista sententia est.* Car. *Non secus ac ego nouis uestibus donatus, discendo feruescam.* Dan. *Ardor ille uereor peribit propediem.* Car. *Id Dij auertant.* Dan. *Ero tibi augur, uestibus ueteraſcentibus, exaresces & in te discendi cupiditas.* Car. *Hoc in plerisque accidit, sed in me locum non habebit, id exitus ostendet.* Dan. *Si perduraueris diligentia, eris mihi magnus Apollo.*

Tra

Tractare dicunt fabrilia fabros.

EBERHARDVS, & FABRITIVS.

QVæ conuiuæ uestri fuerunt colloquia? Fab. Talia, quales fuere hospites. Eber. Cuius tum farinæ isti erant? Fab. Negotiatores, & mercatores, ac fœneratores. Ebe. Hi quid inuicem nugabantur? Fab. De fœnore quod exercent. Eber. Sperant nunc quæstum aliquem? Fab. Spe lucri iam fouentur. Eber. Sed qua re lucrum facient nunc temporis? Fab. Annonã uænundando. Eber. Frugum uenditio nunc tempestiua est. Fab. Id & ipsi norunt, quia pretiosè uænit. Eber. Hui pereant cum eorum auiditate illi hominum & pauperum tortores. Fab. Faxit Deus ut mercatus annonæ uilior fiat. Eber. Vereor ante proximã messem uilius non uendetur frumentum. Fab. Fidendum est Deo, qui omnia uertere potest. Eber. Ferrendum adhuc esset, si non charior fieret emptio frugum. Fab. Id Dij prohibeant. Eber. Non alij adfuere conuiuæ? Fab. Præsto erant & sacerdotes nonnulli. Eber. An isti, qui mercede conducti missas celebrant, quos præsentionarios uulgus uocat? Fab. Eiusmodi erant sacrificuli. Eber. Qualis ipsis fuit sermo? Fab. Nusquàm iam, uel rarò defunctis exequiæ fieri. Eber. Quid causæ putabant esse? Fab. Quòd Luthero accederent homines. Eber. Altera & hæc est ratio, quòd egent plerique. Fab. Certum est, egestate ubique laboratur.

Ad mensam læta, & non tristia debere esse colloquia.

HERO, & IVLIANVS.

ABeant uerba illa. Iul. Quare? Hero. Tristia sunt quæ huic loco & tempori non conueniunt. Iul. Quæ tum uerba hîc apta erunt? He. Dulcia & iucunda dicta

dicteria. Iul. Quis hic est, qui aliquot scommata proferet? He. Sales dicantur inter nos uicißim. Iul. Cuius rei auspicari? He. Hospitis istud est munus. Iul. Placet, deinde & propius aßidentes aliqui iocos afferent. He. Vel si uisum est hospiti, sortiemur quis incipiat. Iul. Incipere ipse essem instructus. Her. Lepidi igitur aliquid recense. Iul. Sed ßleant prius omnes. Her. Tenebimus ora intenti omnes, ut inquit Vergilius? Iul. Prouerbium est multorum in ore, ad mensam sedendo iuueneßcere homines, idne uobis uerißimile uidetur? Her. Fertur, sed certum est quòd falsò. Iul. Cur fictum esse creditis? He. Quia tempore seneßcimus, ubicunque locorum simus. Iul. Difiteri nequeo, attamen ad mensam iuueneßcimus. He. Consonum uerò non credimus esse. Iul. Aduertite, uobis persuadebo. He. Age facias, & Phyllida solus habebis. Iul. Sententia Horatij est: Vinum hominem reddere iuuenem. He. Aequè tamen senes manent ebrij. Iul. Fiunt iuuenes animo & hilaritate. Her. Id uerum est, quia uinum curas abigit. Iul. Et iuuenum est curis uacare. He. Ipßi non curant, quanti annona uæniat. Iul. Ideò ad mensam ßnite & nos iuueneßcere, largius bibendo.

Ante & post cibum hymnum esse dicendum.

LVCANVS, & MARTINVS.

HOmines ßtis an beßtiæ, dubito. Mar. Formam nostram aspice. Luc. Species est humana, sed uita non. Mar. Viuimus tum bruta? Luc. Agitis mores beluinos. Mar. Hui, bona uerba. Luc. Porcorum est edere, nullis precibus dictis. Mar. Oraremus usq; ? Luc. Decet hominem orando, cibum adire & deserere. Mar. In æde sacra sat precum diximus. Luc. Fortaßis ibidem fabulis transegißis tempus. Mar. Confabulari illic non solemus.

Luc.

Digitized by Google

Luc. *Etiam non ad Deum preces funditis scio.* Mart. *Obseruasti tu in templo quid ageremus?* Luc. *Sæpenumero.* Mart. *Tecum habita, si nos mordere intendis.* Luc. *Reprehendite uos & me, si quid scitis malè per me gestum.* Mar. *Sapientiores sumus, quàm quòd litem auspicaremur.* Luc. *Oretis, deinde cibo fruamini.* Mar. *Omittemus posthac nunquàm preces ad cibum solitas.* Lucr. *Nihil inciuilius est, hominem edere sine hymno dicto, cùm id* CHRISTVS *fecerit.* Mar. *Obliuiscimur quandoq; aliarum dum sumus soliciti rerum.* Lucr. *Solicitus sum nunquàm adeò, ut Dei obliuiscar.* Mar. *Felix, qui istam habeas gratiam.* Luc. *Precantibus ad mensam uictus suppeditatur à Deo.* Mart. *Facilè credimus.* Luc. *Facite igitur, ut hoc præcepto mei semper sitis memores.* Mart. *Fiet, tibi gratiam habemus.*

De Capite aperiendo.

NESTOR *sapiens, &* OTMARVS.

RVstice, *ubi egisti uitam, an inter bestias?* Otm. *Mihi cum belua non conuenit.* Ne. *Plus cum bestia, quàm hominibus tibi est similitudo.* Ot. *Causam indica.* Ne. *Apud honestos uiros sine moribus es.* Ot. *Mores quos haberem?* Ne. *Honestiori te aperiendo caput, loqueretis.* Ot. *Caput aperire crebrò molestum est.* Ne. *Optimè decet, quia datur uirtuti.* Ot. *At caput nudum frigus mordet.* Ne. *Quantumuis acre sit frigus, nequit citò lædere detectum caput.* Ot. *Ipse doleo capite, dum frigus sentio.* Ne. *Nihil plus decorat iuuenē, quàm dignioribus adesse non operto capite.* Ot. *Admiror, nihil tamen prodest illis quibus illud sit.* Ne. *Honor non accipientiū, sed exhibentiū est.* Ot. *Vt audio honor est meus, non quibus ipsum facio.* Ne. *Sentis ueraciter.* Ot. *Si præsciuissem*

aper

Digitized by Google

aperuissem capud crebrius. Nest. *Ingenuos indicat mores adolescentis.* Otm. *Tum facillimè moratus efficiar.* Nest. *Audisti unquam Romanorum morem de capite mutando.* Otm. *Non, recense tu mihi.* Nest. *Lex erat apud eos, quòd capite plecteretur, qui seniorem præteriret coopertis capillis.* Otm. *Nollem tunc temporis apud illos me uixisse.* Nest. *Ipse si ibidem uitam egissem, nunquàm operimento uerticis fuissem usus.* Otm. *Istud & ego non omisissem.*

De fertili Sacerdotio.

PATER, & QVIRINVS.

AD uitam agendam sat mihi nunc est cõmeatus. Qui. *Gratiam Deo habeas.* Pat. *Sed nostíne, unde uictitabo?* Quir. *Tu me certiorem redde.* Pat. *Optimum mihi est sacerdotium.* Quir. *Tale & mihi esse uellem.* Pat. *Piscare undiq;, fortè reperies simile meo.* Qui. *Aureo hamo careo.* Pa. *Argenteum ut habeas hamum oportet.* Quir. *Fortassis & tibi ære adeptum est sacerdotium.* Pat. *Crede mihi, nõ inani ipsum sum nactus manu.* Quir. *Id tibi iniurato credo.* Pat. *Pendet mihi singulis annis centum aureos numos.* Quir. *Sufficiet & tibi, & Nymphæ, quam ales.* Pat. *Puellam educabo nullam, sed parentibus commorabor.* Quir. *Sapies in rem tuam, si feceris.* Pat. *Graue esset, me & domum, & ancillam, & coquinam fouere.* Quir. *Dicto citius multum prodigitur.* Pat. *Parentibus uiuis, impendiis largis parcam.* Quir. *Viaticum ad senium tibi compara.* Pat. *Vellem & tibi esse fœcundum sacerdotium.* Quir. *Ipse quoque percuperem.* Pat. *Reperies aliquos pios, qui tui miserabuntur.* Quir. *O utinã quàm gratus esse uellem.* Pat. *Suborna amicos, qui pro te diuites precentur.* Qui. *Tentarẽ sedulò, si profuturam*

rum scirem. Pat. *Periculum faciendum quippiam cupienti.* Qui. *Verum est, audaces fortuna iuuat. Et desidenti(ut uulgò fertur)assa non aduolat columba.*

De officio mechanico addiscendo.

ROMVLVS, & SCIPIO.

NVne temporis nouus mos inoleuit. Scip. *Quem morem putas?* Rom. *Quòd à pleriscq; literæ deseruntur.* Scip. *Quid tum susceptant?* Rom. *Manibus operando uictitant.* Scip. *Pœnitebit ipsos olim.* Rom. *Illud quàm multis prædixi, sed lapidi loquebar, & mortuo uerba feci.* Scip. *Sapient nimis seró.* Rom. *Laborioſos dies non diu tolerabunt.* Scip. *Gustata laboris amaritudine, ad literas recurrent.* Rom. *Regredi ipsis non licebit ad deserta studia.* Scip. *Reditum quid morabitur?* Rom. *Parentes & aliorum hominum nasi suspensio.* Scip. *Satis amarum est Ciconia affici & depingi.* Rom. *Quid agent credis, postquàm eos laboris tæduerit?* Scip. *Crumenas amputabunt, & iugulabunt homines.* Rom. *Bellorum satellites fient etiam strenui.* Scip. *Fieri potest, nam & animam & uitam uænum habent.* Rom. *Monachorum & quorundam diuitum admiror demẽtiam.* Scip. *Ah, admirari desine, nequeunt opiparos ferre dies.* Rom. *Stolidi qui luxuriosam uitam commutant miseria.* Scip. *Ignoras? Optat ephippia bos, piger optat arare caballus.* Rom. *Horatius isto uerbo quid dicere uolebat?* Scip. *Quenq; suæ sortis pœnitere, optare alienam.*

Eos rarò probos fieri, quibus in teneris annis parentes nimiùm indulgent.

THELESPHORVS, & VDO.

O Iuuenis, iuuenis, melior uirtute euades nunquám. Vdo. *Nosti tu fortunas hominum?* The. *Tantum*

nosco

Digitized by Google

noſco ſortem tuam, quòd in melius non proficies. Vdo. *Deus adhuc ſucceſſum felicem mihi ſpero non denegabit.* Theleſ. *Tenera ætas de tota iudicat uita.* Vdo. *Hercule fallit ſæpiſſimè.* Theleſ. *In teneris molliter, ut tu, educati omnium euadunt peſſimi.* Vdo. *Tum nulli fierent principes probi, quia lautè aluntur.* Theleſ. *Principem probum nigro cygno inuenies rariorem.* Vdo. *Contine linguam, audire faſtidio.* Theleſ. *Veterum perluſtra hiſtorias, inuenies egiſſe tyrannos ferè omnes.* Vdo. *Abeant priſca tempora, ætate noſtra Reges & Duces trutinemus.* Theleſ. *Hac tempeſtate diues probus albo coruo eſt rarior.* Vdo. *Tertius tu Cato es, omnia noſti.* Theleſ. *Sim qui ſim, Quintiliani ſequor ſententiam.* Vdo. *Qua illa eſt?* Theleſ. *Virtute eum nunquàm adoleſcere, qui in purpura repſerit.* Vdo. *Ita uiſum eſt Quintiliano fortè inopi.* Theleſ. *Cenſura eſt ſua, & experientia ueraciſſimum eſſe probat.* Vdo. *Perpauci probi eſſent, ſi uera diceres.* Theleſ. *Loquor de illis, quorum lautè alitur iuuentus.* Vdo. *Omnis fermè mater molliter alit filium.* Theleſ. *Facerent quidem iſtud omnes nutrices, ſed multis reclamat indigentia.* Vdo. *Ideò Deus pauperibus, non diuitibus proles concedit.*

Qui parentes ſuos diligant filios.

XENOPHON, & CYPRIANVS.

VEllem tales mihi contigiſſe parentes. Cyp. *Quales optares?* Xen. *Vt ille eſt ſortitus.* Cyp. *Fatue, neſcis quid deſideras.* Xen. *Oppidò bene ſcio.* Cyp. *Si perpenderes uotum, taceres.* Xen. *Dies delicatos cupio.* Cyp. *Tales ſi haberes, commodarèntne tibi?* Xen. *Frugiferi eſſent, nam nulla re egerem.* Cyp. *Vnde tum omnium rerum haberes copiam?* Xen. *Ab opulentis parentibus.*

Cyp.

Digitized by Google

Cyp. Ah, ah, quid loqueris ſtolide? Xen. Loquor quod res eſt. Cyp. Parentes diuites plus ſurripiunt, quàm largiuntur filijs. Xeno. Ipſis quid auferunt? Cypria. Omnem laudem & commoditatem. Xenop. Parentes darent filijs, citius quàm adimerent. Cyp. Vt tu veris. Xeno. Amâbo, effare quid filiis demunt? Cyp. Virtutem, qua nihil eſt in mundo præſtantius. Xeno. Dicta tua non teneo. Cyp. Vis ut tibi tanquam Dauo Terentiano apertius loquar? Xeno. Volo & deſidero. Cyp. Diuites ſuis filijs plus æquo indulgent. Xeno. Indulgentia iſta quid obeſſe poteſt? Cyp. Quintilianus inquit, quòd & corporis & animi neruos omnes corrumpit mollis illa educatio. Xeno. Age, quomodo indulgent? Cyp. Errantes non puniunt, neque à præceptoribus eos corrigi uolunt.

Quis noſter ſit Amicus.

ALBERTVS, & BRVNO.

Miſer homo nunc eſt, qui rerum eſt expers humanarum. Bru. Quis eſſet illarum rerum rudis? Alb. Proh dolor, tales reperies complures. Bru. Quos uocas tu humanarum rerum ignaros? Alb. Hoſce quibus facilè imponitur. Bru. Nonnunquàm prudentiſſimo cuique dantur uerba. Alb. Sortem mundi qui calluerit pulchrè, ſibi cauebit. Bru. Noſtine dicterium, Homerum quandoq; dormitare? Alb. Inter homines agenti uigilandum eſt ſtrenuè. Bruno. Tenduntur tum nobis ſemper inſidiæ? Alber. A multis nobis inſidiatur, etiam quos amiciſſimos credimus. Bru. Amici illi perſonati ſunt. Alb. Apparent fautores coràm, ſed clàm mordent, & pungunt inſtar felium. Bru. Effingunt pulchrè naturam felis. Alb. Amicus eſt res nobiliſſima, ſed rariſſima. Bru.

Digitized by Google

Vnico tamen munusculo amicus adipiscitur. Alb. *Iste muneris, non nostri est amicus.* Bru. *Verùm quem æstimabimus amicum?* Alb. *Neminem festinanter & temere.* Bru. *Quando? oro instrue me.* Alb. *Quem diutino cõuictu intus & in cute nouerimus.* Bru. *Intus aliquem noscere difficillimum est.* Alb. *Longa consuetudo arguit, qualis sit à talis ad uerticem, albus an ater.* Bru. *Multi Crocodili naturam habent, aliud uultu, aliud corde gerentes.* Alb. *Verum est, ideo Momus Deus reprehensorius carpebat naturam, quòd hominem occluso pectore crearit, quòd cordis alterius nos lateret cogitatus.* Bru. *Cordium si quis explorator esse posset, facilè amicum uerum agnosceret.*

Quis nobis sit inimicus.

CRITOLAVS, & DAVID.

O *Tu hominis somnium, non homo.* Da. *Tu me hominem esse negas?* Cri. *Nego & manibus & pedibus.* Da. *Confirma quod dicere audes.* Cri. *Quia brutis minus sapis.* Da. *Bruta, sapiúntne?* Cri. *Prouident diligentius sibi, quàm tu tibi.* Da. *Curam mei quantum possum gero.* Cri. *Factis istud, uerbis non præstas* Da. *Vbi tum mihi incommodo?* Cri. *Quòd cuilibet homini æquè credis.* Da. *Non crederem amicis?* Cri. *Amicos quos æstimas, inimici ueri sunt.* Da. Id *Dij prohibeant.* Cri. *Coràm tibi blandiuntur, rodunt à tergo.* Da. *Hoc si agnouero, deseram eos.* Cri. *Percipies uereor nõ sine periculo.* Da. *Argus ero quò me non fallant.* Crito. *Actum est, diu in casses eorum incidisti.* Da. *Adhuc tamen liber sum.* Cri. *Corpore liber es, sed emolumento captus.* Da. *Nocumenti adhuc sentio prorsus nihil.* Cri *Percipies more Phrygum serus nimiùm.* Da. *Tu si amicus es, præ*

Digitized by Google

præmoneas, quo mihi caueam commodius. Cri. *Sed me apud eos non prodas uelim.* Dau. *Silebo ac lapis iste.* Cri. *Fœdus inierunt te deplumandi, quoad possent.* Dau. *Id ipsis prohibebitur, quia parum mihi restat quod dem.* Cri. *Id modicum si perdideris, nudus esses totus, ipsos decere.* Dau. *Diutius eis non conuiuam.*

De monasterij & religionis ingressu.

GEORGIVS, & HERMANNVS.

Estne tibi præfixum, quo pacto senium ages? Her. *Est præscriptum diutißimè.* Georg. *Ipse adhuc incertus sum, quam subeam senij conditionem.* Her. *Præscire illud deceret tanquam metam in quã curritur.* Geor. *Quo studio senectutem tu transiges?* Her. *Pietatis studio & religionis.* Georg. *Fouebis in senio cultum religionis?* Her. *Sic stat sententia.* Georg. *Monachine assumes personam?* Herm. *Cucullam me uestiam.* Georg. *Habitus maximè conuenit senili corpori.* Her. *Quî id putas?* Georg. *Nam senectutem frigidam calere facit.* Her. *Ob id eam non induam.* Georg. *Qua spe ductus religionem ingrediêris?* Her. *Ob uitæ consequendum commeatum.* Georg. *Peßimam habes propositi metam.* Her. *Plurimi tamen ducti ea causa, mundo se abdicant.* Georg. *Satius esset cœnobia illos non inuisere.* Her. *Emanere eorum gulæ non conferret.* Georgius. *Prodesset tamen animæ.* Herm. *Corporis gerunt curam, animam Deo committunt.* Georg. *Deo, non uentri ut seruiatur, monasterium est ingrediendum.* Herm. *Hui, indulgendum est nonnihil & gulæ.* Georg. *Quæ te Erinnys agitat, quòd nunc temporis monachatum cogitas?* Herm. *Ardeo illius uitæ desiderio, qui fiat ignoro.* Georg. *Conspiciſne, quomodo paßim nunc monachi*

Digitized by Google

solitas deponunt personas? Her. *Audio quòd undique se nudant cucullis.* Geor. *Non frueris illorum insania, & detestaris monasticam uitam?* Her. *Non citò fugiendum est, quod execrantur homines nihili.* Geor. *At expertis credendum, religiosam uitam commutant mundana, tanquàm meliori.* Her. *Ipsi uoluptate delectantur, ideo in mundum redeunt, quò ipsa potiantur uberius.*

Non omnes doctos esse qui capite redimiti
sunt rubeo tegmine.

IVPITER, & LVDOLPHVS.

HOdie aliquid uidi, quod portenti loco habeo. Lud. *Ecquid istud fuit?* Iup. *Fortassis tibi non nouum.* Ludol. *Dicam, postquàm audiero.* Iupit. *Imberbem adolescentem magisterij opertum diademate.* Lud. *Quid tecum tacitus cogitabas?* Iup. *Vix adultum, in literis tantùm profecisse.* Ludol. *Stultus cogitatus fuit.* Iup. *Prudenter uoluebam hoc mente, nam multos noui annis plurimis confectos, & nondum illum erant magistratum adepti.* Lud. *Vnde facicbas istum in peritia longè progressum?* Iup. *Capitis redimiculum id me docuit.* Lud. *Aestimas tu ab amictu eruditum?* Iup. *Quid aliàs loquitur istud capitis uelamen, quàm hominis ingenuam doctrinam?* Lud. *Saepe insciticie est lenocinium, non eruditionis index?* Iupit. *O quantum hactenus spe uana me lactatum uideo!* Ludol. *Quomodo tibi impositum est?* Iupit. *Prosequutus sum honore & laude omnes capite uelatos insigniter.* Ludol. *Ah, rerum humanarum rudis es.* Iup. *Quî ipse sciuissem eos inscios, quum tiara prodirent eruditi?* Lud. *Nostin' adagium? Martecophori multi, Bacchi uerò pauci.* Iup. *Prouerbij quid istud est?* Lud. *Multi aliud apparent, quàm intus sunt.* Iup.

Vnde

Vnde tu periculum sumis alterius eruditionis? Lud. *Si multa docet, uel doctè agit.* Iup. *Etiam si magisterij pileolo non sit opertus?* Lud. *Hedera uiridis uinum nihil commendat, ita neque amictus pretiosus animi nobilitatem.*

Quibus sit vtendum verbis, dum aliquid à Præceptore flagitatur.

MARCVS, & NERO.

INstar fòlij trepido, dum præceptor mihi est conueniendus. Nero. *Cur tremis? é stne tantus tyrannus?* Mar. *Non, sed aliud mihi timorem incutit.* Nero. *Audaculus tamen homo soles esse.* Mar. *Apud præceptorem mihi semper animus in pedes labitur.* Nero. *Verecundari decet discipulum apud instructorem suum.* Mar. *Vereor ideo, Latinè nescio, ut decet, loqui.* Nero. *Non te labentem lingua secus docet?* Marc. *Instruit quidem, sed semper asinum me uocat, ubi loquendo cado.* Nero. *Sic incutit tibi insciti æ pudorem.* Mar. *Verax es, nusquam nisi apud eum sermonis solicitus sum.* Nero. *Eo pacto quandoque integrè Latinè loqui disces, & minus errare.* Mar. *Ea spe ducor.* Nero. *Ista non frustraberis confidentia.* Mar. *Certiorem me redde, quomodo precabor ab ipso exeundi ueniam, dum cacaturio.* Nero. *Roga ueniam exonerandi uentrem.* Marcus. *Dum urina urgeor?* Nero. *Precor facultatem ad euacuandam uesicam.* Mar. *Quando domi mihi est manendum?* Nero. *Opto consensum emanendi è gymnasio, per occupationes adesse nequeo.* Mar. *Si mihi ad prandium est uocandus præceptor?* Nero. *Colende præceptor, parentes mei te in prandium uel cœnam, conuiuam petunt.* Marc. *Excusaturus me quòd non interfui lectioni, per parentum iussa?* Nero. *Ignoscas oro colende præceptor meæ*

Digitized by Google

absentiæ, quia præsto esse non potui, per parentum negotiâ.

De ouis colligendis circa Paschatis ferias.

ARISTOPHORVS, & BVTTVBATA.

QVid struis, suppingis tu calceos? But. *Suppingo; ita pecuniam mihi seruo.* Arist. *Quam pecuniam?* But. *Dandam suppactori calceario.* Arist. *Veteres quid resarcis calceos? mercare nouos.* Butt. *Aere laboro.* Arist. *Tantum bene haberes argenti.* Butt. *Crumenam meam potius te nosco.* Arist. *Est tibi animus aliquò proficiscendi, quòd calceos reficis?* But. *Faciam iter rus uersus ad dies aliquot.* Arist. *Auri quid exequêris?* Butt. *Hoc tempore annuo rusticari soleo.* Arist. *Etiam emolumentum consequitur?* But. *Imò integri mensis uictum.* Arist. *Commeatus iste quis est?* But. *Ouorũ magnam copiam congrego.* Arist. *Multitudinem ouorum, an apud sepes olentium?* But. *Ista palatum meum non delectant.* Arist. *Colligísne oua gallinacea?* But. *Coaceruo utique à rusticanis mulierculis.* Arist. *Cantas ante fores, uel precaris instar mendici?* But. *Cano hymnum, quem uocant:* CHRISTE *qui lux.* Arist. *Iubent etiam quandoque ab ostio te abire immunem?* But. *Sæpe, sed blandior ipsis, quousque stipem porrigunt.* Arist. *Nihil tibi præter oua præbent?* But. *Nonnunqnam & pingue farcimen.* Arist. *Soléne comitatus ire collectum oua?* But. *Interdum solus, ubi Theseus mihi defuerit.* Arist. *Quid si me socium sumeres itineris?* But. *Placebit mihi.* Arist. *Animo & meo arridet.*

Nusquam nunc tutam esse Fidem.

IODOCVS, & MATTHAEVS.

LAmentarísne? Matt. *Non lamentarer? sanguinem penè flerem.* Iodoc. *Accidit tibi quippiam exitij?*

Mat.

Digitized by Google

Mat. Ah, mali magna turba. Iodo. Impertias mihi uerbis ut tibi condoleam. Mat. Tuum nihil mihi proderit condolere. Iodo. Solatium est in miseriis amicus compatiens. Mat. Mallem ego iuuantem quàm contristantem. Iodo. Detege mihi mœrorem. Matt. Fides pollicita mihi non seruatur. Iodo. Quid promissi tibi est factum? Mat. Adminiculum uictus totius uitæ meæ. Iodo. Ecastor, si factum fuisset secutum uerba, in cœlo esses. Mat. Nunc autem & à spe & promisso decidi. Iodo. Animum ne despondeas, si quid pollicitum est, fortè bellè seruabitur. Mat. Quantum intelligo, facta non sequentur uerba. Iodo. Nescis diuitum animos, uolunt sibi supplicari. Mat. Precatus sat sum. Iodo. Ores demum per amiculos, isti ocyus exaudientur. Mat. Rete tendam per amicissimos. Iodo. Eos mitte, qui isti sunt intimi, qui promisti. Mat. Cogitaram id antea diu. Iodo. Verum ne differas: nam semper nocuit differre paratis, & mora sua cuilibet est nociua. Mat. Quamprimùm opportunum fuerit, periculum faciam Iodocus. Faxit Deus ut alea tibi prosperè cadat. Matthæus. De isto mihi optato gratiam habe.

Quòd obsequium amicos, veritas odium pariat.

GYSBERTVS, & CORNELIVS.

TErentij Comœdiæ súntne unquam tibi lectæ? Corn. Sæpiusculè, & adhuc in dies leguntur. Gys. Excerpis etiam elegantiora quædam dicta? Cor. In hoc raptitius est mihi liber. Gys. Obsequium amicos, ueritas odium parit, cuius Comœdiæ est uerbum? Cor. Primæ, scilicet Andriæ. Gys. Videtúrne tibi esse poëticum dictum? Cor. Nequaquam, sed Delphicum oraculum.

Digitized by Google

Gyſ. Parit tu ſemper amicos obſequendo? Cor. Inimicos nunquam nactus ſum officio. Gyſ. Obſequia tamen ſæpe ingrata ſunt. Cor. Ingrata quæ ſunt non merentur obſequia dici. Gyſ. Verùm peßimi ſunt homines, qui obſequiis irritantur ad nocendum, ut inquit Cicero. Cor. Iſtas beſtias, non homines dicerem. Gyſ. Ego ipſis beluam præponerem. Cor. Quare? Gyſ. Beſtiæ agnoſcunt pietatem exhibitam eis. Cor. Canes præcipui gratiſunt. Gyſ. Miſerum eſt ſanè, homini obſequendo operam ludere. Cor. Præſtaret otioſum ſtaſſe. Gyſ. Sed quomodo ueritas parit odium? Cor. Dum alteri dicitur quod ipſum aceto perfundit. Gyſ. Tangitur hominibus vlcus ueritate? Cor. Multis uerò ſermone mouetur bilis & Anagyris. Gyſ. Illorum ſalus eſt deſperanda (teſte Ciceron) quorum aures ſunt occluſæ veritati. Cor. Per Herculem nocuit ſemper ſuo nutu, & non aliorum conſilio, ſingula gerere.

Conuiuium Bacchanale, ſiue vltima cœna dierum Lupercalium.

HOSPES, VXOR, PVER, SERVVS, CONVIVAE, MARTINVS, ARNOLDVS, & CITHAROEDVS.

O Vxor meum corculum, in cœnã quid parabis obſonij? Vxor. Nihil, niſi huius prandij reliquias menſæ imponam. Hoſ. Id dedeceret, nihil habere carnis recentis & uix elixæ. Vxor. Quid ob unicam cœnam obſonatum irem? Hoſ. Conuiuas nonnullos uocaui, hos oportet lautis exponere lancibus. Vxor. Quos? Hoſ. Dominum Martinum, & Magiſtrum Arnoldũ filij noſtri inſtructorem, tũ fortaßis & umbræ aliqui accedẽt. Vxor. Qui iſti

isti essent umbræ? Hosp. Personati qui amicos hoc uesperi inuisunt. Vxor. Laruis opertis hac nocte limen nostrum non patebit. Hos. Nunc meum deliciolum, focũ instrue carne elixanda, & ueru gallinas duas in cœnam nobiscoque. Vxor. Seruum iube, ut à lanis armum ouillũ ferat. Hos. Heus tu serue ubi latitas? Ser. Adsum here. Hos. In macellum i celeri gressu, ac carnis ouinæ fer talenta sex. Ser. Ibo ac uelox. Vxor. Ego enectum gallinas uado. Hos. id facito. Puer. Noctescit pater, feram uinum in tempore, non tutum erit in tenebris uicatim cursitare. Hos. Hic pecuniam sume in manus quatuor mensurarum, quamlibet sedecim mercaberis obolis, dicas matri ut singula percoquat, ego mox à somno surgam. Puer. Efficiam quòd fiat ut iubes. Vxor. Expergiscere marite, statim aderunt conuiuæ, quinta sonuit. Hos. Nunc me erigam: serue uade uisum ubi morentur inuitati à me, an emanere uelint? Ser. En aliâs testudineo ueniunt gradu. Hos. Nunc tu mensam ocyus singulis para & instrue. Ser. Dicto citius instructam reddam. Hos. Gratulor uestro aduentui mei conuiuæ. Con. Tibi sit gratia. Hos. Vbinam latet tempus Lupercale? Conui. Ignoramus, abire, nósq; deserere parat. Hosp. Prius in ipso hilarem ducamus compotatiunculam. Con. Ideò huc detulimus pedes, & istud nostrum uilli, precamur boni consulas. Hosp. Hui, nimium est, suffecisset medium: quis epotabit? Con. Ebibemus sine sudore, prolixam adhuc agemus compotationem ante digressum. Hosp. Abluite singuli manus & discumbite, in tempore incipiamus, quo hilaritati sat restet spatij. Con. Heus puer, adésdum, consecra cœnam. Puer. Benedicite. Con. Dominus. Puer. Quicquid appositum est, & quicquid appo-

netur, benedicat nobis ille, qui sua largitate pascit vniuersa. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Con. Amen. Hos. *Nunc in cibum manus iniicite, quoad lautiora afferantur.* Con. *Nostri muneris non erimus nescij.* Hos. *Calices reple uino tu serue, ut stas tanquam Marpesia cautes?* Marti. *Bibere plus appeta quàm edere, hunc ego exorbebo calicem.* Vxor. *Interea bibendum est, ne in stomacho cibus putrescat: marite, hoc te salutabo poculo.* Hos. *Tibi non incommodet ipsius haustus.* Arnol. *Et ego Martine, hunc cyphum tibi propino.* Mar. *Saluti sit tibi.* Hos. *Vt ita Chrysippum agitis? non delectat uos cibus?* Con. *Iuuat plurimum, sed esurimus modice.* Hos. *Hoc uitrum uolo quisq; ordine exciccet, ego glaciem fetabo, & classicum canã.* Con. *Et nos post te ipsum clambemus.* Hos. *Age hunc tibi propino Martine, iuide ut æquali mihi respondeas haustu.* Marti. *Non recuso.* Hos. *Vbi cyphus sistit? cur non ob ambulat? puellulæ istæ siti pereunt.* Ar. *Epotauimus ipsum omnes, in uxore tua moratur.* Vxor. *Ego ipsum exhauriam, ubi hunc bolum peredero.* Hos. *Serue, tolle hæc, ac alia affer edulia, muta quadras, & mundas redde.* Vxo. *Marite, excipe conuiuas ut moris est, ad carnes tostas.* Hos. *Aduentus uester me delectat, ad has gallinas & buccellam carnis porcinæ in ueru paratam uos uocaui, oro æquo accipite animo: si parcus & modicus est cibus, largior erit potus.* Con. *O hospes apparatum lautiorem quàm opus fuisset fecisti, non debueras nostri causa diem festum instituisse.* Ho. *Tempori inseruiendum est nõnihil, dierum licentia & platinarũ exigit lautitiam. Arnolde, hunc calicem ad imum usq; tibi præbibo.* Arnol. *Prosit tibi. Martine hoc poculum tibi præbibo, ut & tu deinde*

exor

exorbeas. Mar. Præbibitis nulli quàm mihi, uideo, quid monstri alitis? creditis me metam esse, in quam dirigantur pocula, ut sagittæ in scopum? Citharœde hoc cyatho te adorior, ut nobis à cœna dulcem exhibeas citharæ pulsum. Cith. Accipiam abs te libenter. Hos. Serue, affer bellaria, uideo conuiuas anhelare choream. Mar. Nos uiri non, fortè hæ nymphæ saliendi amore ardent. Hos. Mox surgemus. Vx. Edant prius, ut ita maturare conaris? Arn. Quis usque, ut uultur edere potest? Mar. Si uisum fuerit hospiti, tollatur cibus. Hos. Fiat. Puer adsis, & hymnum postremum recense. Puer. Gratias dicimus Deo trino in personis, vni in essentia, qui sua immensa potentia condidit omnia, gubernat vniuersa, qui nos indignos famulos hoc vesperi suo pauit munere, ipse nobis largiatur, vt post hoc exilium secum in æternum fruamur cœlitum lętitia, suóque potiamur conspectu per IESVM Christum. Con. Amen. Hosp. Habeo uobis conuiuæ humanißimi, gratiam, quòd ad hoc conuiuiolum meum exiguum dignati sitis uenire, oro lubenti accipite animo quæ præsto fuêre, uice alia delicatiora exhibebo. Con. Grati erimus, & quandoque par pari referemus. Hosp. Cytharœde nunc fac resonare citharam. Citha. Laudare nescio: nisi cantus agrestes & rusticos, non regios. Hosp. Id refert nihil: nescis illud Bebelij: Cuiuscunque fistulæ cantus ualet amanti choreas? Cith. Age, & salite, ipse ludam, Mar. Ipse sat choreæ fessus sum. Hosp. Vxor instrue rursus mensam stribiliginibus & aliis bellariis mellitis, ac saccharo conditis. Vxor. Omnia diu sunt parata. Hos. Nunc uenite uos conuiuæ ad has stribiligines, sumemus nocturnam comessationem, hora exigit. Si quem

hoc

hoc halec delectat salsugine crutum, attingat. Con. *Nunc presto est ieiunium.* Hos. *Cras in prandio rursus unà auspicium sumemus temporis festivalis, in his meis ædibus, sicuti nunc inuicem peregimus dies Lupercales.* Con. *Tu vale in crastinum.* Hos. *Valete & nos: fecit Deus, ut anno abhinc proximo rursus unà simus lætiores, & minus deliciis contaminati, ac interim crebro.* Con. *Id Dij superi & nobis & tibi concedant.*

FINIS.

HERMANNVS SCHOTENNIVS HESSVS STVDIOSAE IVVENTVTI S. P. D.

QVAE renascuntur, nosti, tenera & studiosa iuuentus, immutantur paululùm, nouisq; aliquid secunda natiuitate accipiunt. Sic homines per baptismum renati, mundi ab originali peccato fiunt. Phœnix vnica auis Arabiæ, igne seipsam comburens, renascitur iunior & pulchrior: veluti serpentes pelliculam vetustam, per angustam arborem repẽtes, deponunt, tandémq; à rugoso senio liberantur. Nihilq; vsque adeò est quod renascendo, vel temporis progressu non immutetur, lepidiúsque & candidius reddatur. Ideo & mihi nuper, quũ hæ confabulationes denuò à Typographis essent excudendæ, placuit vt prodirent elimatiores, locupletatæq; triginta conuiuiis sequentibus. Conuiuia addidi, non collocutiones pueriles. Quicquid enim agitur inter homines dum otiantur, poculis indulgetur, nam inde amicitia oritur, odiũ & mœror discutiuntur, hilaritas & beneuolentia mutua acquiruntur. Auxi his conuiuiis, grãdibus dictis descriptis, vt & tu adolescas, grandescásq; sermone adultorum, non semper puerum sones loquendo. Vale. Coloniæ, Millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

CON

Digitized by Google

CONVIVIORVM LIBELLVS.

Conuiuium Theleſphorianum, ſiue Eſuriale.

HOSPES, VXOR, PVER, SERVVS, CONVIVAE, MARTINVS, & ARNOLDVS.

VNTNE *obſonia mox percocta & matura eſui?* Vxor. *Fermè, iube ſterni menſam.* Hoſ. *Heus puer, ubi latitas?* Puer. *Adſum here.* Hoſ. *Menſam ſuo apparatu decorato, ſtatim conuiuæ aderunt, nam prandendi hora imminet.* Puer. *Expediam feſtinanter.* Hoſ. *Tu ſerue uinum prome hornum & bimum, ac abſynthio conditum.* Ser. *Efficiam domine.* Hoſ. *Ceruiſiæ quoq; unum aut alterum poculum.* Vx. *Omnia edulia ſat cocta ſunt, accubitum iremus ſi adeſſent conuiuæ.* Hoſ. *Spero quòd actutum aduenient, oſtium credo pulſant.* I *Puer, reſera fores.* Pu. *Ibo. en adeſtis, herus uos moratur.* Con. *Ipſi iam adſumus. Saluus ſis hoſpes noſter, ut uales hoc eſuriali tempore.* Hoſp. *Valeo pugilicè, ſalui & uos ſitis: ueſtrum aduentum deſiderabam, ilico manus abluite, & accumbite menſæ.* Con. *Faciemus, primus tu accumbe.* Hoſp. *Hic in ſella mihi eſt locus. Puer, benedic prandium.* Puer. Benedicite. *Conu.* Dominus. *Pu.* Quicquid appoſitum eſt, apponetúrq; cibi & potus, benedicere & cõſeruare velit dextera CHRISTI, ſumẽtibúſq; ſalubre reddere. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. *Con.* Amen. *Pu.* Pater noſter. Hoſ. *Orationẽ dominicam & Salutationem angelicam quiſque ſecum oret. Nunc cibo*

fruim

Digitized by Google

fruimini, alius non est quàm hesterno uesperi cibus edendus. Con. *Sic dierum conditio exigit.* Hos. *Hoc iusculum piscarum exorbete, conferet cerebro, & stomacho non oberit.* Con. *Proderit per Herculem, medebiturque dolori capitum nostrorum ex hesterna compotatione contracto.* Hos. *Ideò imbibite ipsum dum calet & feruet. Nunc haleces has edite, elixas aut tostas.* Con. *Desidiosi non erimus.* Hos. *Edite & bibite, uobis non ministrabit incommodabit uestro uentri, si à cibo quieueritis. Serue aliud edulij affer, mundósque orbes redde. Nunc de hoc uino absynthio condito, singuli primum facietis haustum, salubre est. Præbibo tibi Martine, tu proximo tuo propines.* Mar. *Non obsit tibi bibenti.* Hos. *Arnolde tibi præbibo.* Arn. *Sit salutiferum.* Hos. *Ordine quisque lambat de ipso. Vt sic abstemij estis: neque potu, neque cibo utimini alacriter, fortè hic cibus uos parum delectat.* Con. *Ab hesterna cœna adhuc saturati sumus.* Vx. *Obsonia hæc palato non adeò arridentut quæ Lupercalibus diebus edimus.* Mar. *Tempori seruiendum est, cuticulam hactenus curauimus, nunc genium fraudare oportet.* Hos. *Breue est tempus, homini sano curriculò abibit.* Arn. *Bene ualenti, & piscium copia abundanti, non his quibus panis nudus est rodendus.* Vxor. *Diligenti Deum nihil est difficile.* Mar. *Verum est, nam ut Plautus inquit: Amor condimentum est, amara dulcia faciens. Sed admiramur quis primus hoc esuriale tempus sanciuit.* Hosp. *Maiores nostri, sanctique Patres Ecclesiæ, & Pontifices in exemplum Prophetarum & CHRISTI, qui se ieiunio macerarunt.* Arno. *Cur est uocatum tempus Thelesphoriarum?* Hospes. *Aiunt Thelesphorum Papam Quadragesimam sic instituisse, ut ab Ecclesia peragitur.*

Ar.

Ar. Quid prodeſt tamen? Hoſ. Vitia corporis comprimit, animam ſaluat, uentri peſtem, crumenæ commodum, & crapulæ decoctionem affert. Mar. Cur non indictum eſt oleum, ut butyrum & lacteus cibus? Hoſ. Lac & butyrum naturæ ſunt ſanguineæ, nam lac eſt ſanguis uaccarum, colore tantùm mutato, ſed oleum nihil in ſe carni affine habet. Arnol. Quare à cibis quibuſdam arcemur, non autem ab aliquo potus genere? Hoſ. Sic noſtris placuit maioribus, & non tantum ſaginat potus ac cibus. Vxor. Loquendo tempus teritis, & interim cibus frigore corrumpitur. Hoſ. Quiſq; ſtrenuè edat & potitet, ipſe nullius edulij ſum cupidus, nam ſtomacho non admodum ualeo. Marti. Et nos parum bene ualemus. Hoſ. Puer tolle hæc, & nuces, pyra, ac ficus affer, & libum melliſ. Arnolde, hoc cypho te adoriar. Arnol. Bibe ſalubriter. Hoſ. Puer, ſingula conde, & hymnum poſtremum dicito. Puer. Quicquid ſumpſimus potus ac cibi, id nobis ſalutiferum reddat ille, qui vnus eſt ſalus omnium. Con. Amen. Hoſpes. Vos conuiuæ boni & æqui accipite, quæ præſto fuêre, meliora obſonare non potuimus. Conui. Tu gratiam habe. Hoſpes. Gratulor ueſtro aduentui. Conui. Grati noſtro nomine tibi ſint ſuperi. Hoſ. Nunc uos amici gratiarum actionum haustum bibite ſinguli. Con. Tu nũc uale, nos noſtros repetemus Penates, quandoque par reſerremus. Hoſpes. Diu relatum eſt.

Pythagoricum Conuiuium.

PYTHAGORAS, HOSPES, DISCIPVLI, CONVIVAE.

SAlute te impartimur plurima, uir ſapientiſſime. Pyth. Eam & uobis opto. Diſcipu. Eſſet nobis nonnihil tecum

tecum colloquendum, si audire uelles. Py. Audiam lubentissimè, cur uenistis? dicite. Dis. Adsumus, cupidi literarum, quas sub tua cupimus discere ferula, si in discipulos nos habere uelis. Py. In meam institutionem admitto nullum, nisi ipsius indolem & Minerua sim explorata. Dis. Quo tum ignotorum experimentum accipis, ingenia qualia habeant? Py. Istud uestra refert nihil. Dis. Quibus infœcunda contigit Minerua, eósne instruere laboras? Py. Illos colendos non suscipio, non minus ac agricola sterilem terram, quia laborem luderem. Dis. Non possent literis imbui infeliciter nata ingenia? Py. Instruuntur opera magna, sed profectu pusillo aut nullo. Agri enim non fertiles, & si curantur, non tamen fruges proferunt. Dis. Precamur colendissime Philosophe, nos in tuorum discipulorum gregem suscipias. Py. De uestris ingeniis prius periculum sumam, an apti sitis literis, tum instruendos assumam. Dis. Auscultabimus tuis dictis adunguem lubentissimè. Py. Prandebo, modò meæ adsitis mensæ, tum huius gymnasij mei ritus & leges cognoscetis. Dis. Parebimus tuo uerbo. Py. Puer, mensam cibo prepara, prandendi hora est. Adolescentes uos mensæ assidete, ego hic accumbam. Cibum consacremus. Omne quo uescemur modò, cibum & potum nobis benedicere velit Iupiter, cœlitésque omnes, in nomine ipsius qui trinus est in personis, sed vnus in essentia. Discip. Amen. Py. His obsoniis uulgaribus pisis, pyris, pomis, potúq; uilissimo esurientes uos alite, non alium cibatum hæc mensa habere solet. Dis. Nunquàm carnes neq; pisces? Py. Minimè gentium, essemus usqueadeo immanes & impij, ut uictitaremus carnibus animalium & piscibus!

Dis.

Dis. Esset illud impium & immane? Pyt. Detestabilissimum est humanæ naturæ. Dis. Passim tamen locorum bis cibis aluntur homines. Pyt. Aliud Philosophia nos docet, quæ ab istis nos detrahit, brutorum uesci carnibus & piscibus, maximè impium est. Dis. Quare? doceas nos illud humanissime præceptor. Pyt. Nos Philosophi dicimus animas esse immortales, & post mortem animalis in aliud transire corpus, ideo si carnibus beluinis uescerer, timerem mei patris animam ne deuorarem. Dis. Cur piscibus tum abstinere soles? Pyt. Piscis animal innocuum est, nihil exitij hominibus inferens: ideo in ipsum nostris morsibus sæuire non decet. Dis. Vescerisne aliis cibis omnibus? Pyt. Famem discipuli mei & ego sedamus alimento perquàm exiguo & uili. Dis. Difficile nobis erit assuescere tam tenuiter uictitare, qui laute hactenus apud parentes aliti fumus. Pyt. Ferenda sunt uobis complura, si scientiæ metam cupitis. nam patientia Philosophiæ est radix & fulcimentum. Dis. Quibus legibus tui sunt addicti discipuli? Pyt. Variis, uni tamen præcipuè. Dis. Quæ illa est? Pyt. Vt per quinquennium tacent. Dis. Cur ipsis loqui prohibes? Pyt. Ideo ut tacendo audiant, & discant ab aliis quid sit loquendum, antequàm ipsi uerba proferant. Dis. Difficillima factu nobis ista uidentur. Pyt. Viribus uestris si non conueniunt, alium præceptorem quærite. Dis. Experiemur quid uires nostræ possint, & quid ferre recusent. Pyt. Sic facite, strenuéque me docente literas discite.

Philosophica mensa.

PLATO hospes, ARISTOTELES, CICERO, DEMOSTHENES, CONVIVAE, & MINISTER.

Mensam ac patinas accedite literarum seruidissimi adolescentes, iamdudum fortasse fame uobis crepuerunt intestina. Aris. *Esuirici adhuc sentio nihil.* Cic. *Et ipse nondum famelicus sum.* Demo. *Libros legendo, esuriem prorsus non sensi.* Pla. *O nobiles literarum cultores, qui chartis animos & corpora farcitis, mensæ nunc accumbite, cibóque corporeo naturam fulciatis.* Ari. *Præsto sumus uenerande præceptor.* Pla. *Serue cedenda nobis tuis precibus consecra.* Minister. Quæ iam sumemus edulia, ea & nos benedicat qui creauit vniuersa, terram, mare, cœlum, omniáque in ipsis contẽta, mortuorũmq; resurrectionẽ faciet, vnus in essentia, licet cũ populo sit dicẽdũ multos esse Deos, vnus autẽ verus est, qui dapem hanc nostrã benedicat. Con. Amen. Pla. *Esuriens nunc edat, non famelicus edere non tentet, nam nocuus est omnis cibus, qui præter famem uel editur, uel ad edendum illectat.* Ari. *Palato cibum inferam, tum experiar an sibi sapiat.* Pla. *Potum præbe tu Endimion, ut stas cogitabundus? Hac lance latrantem sedate stomachum edulis, ultrà nihil habebitis quàm bellaria.* Cice. *Abundè satis erit, neq; uultures uel lupi sumus.* Pla. *Potu hoc tenui & uili cibum subsidere facite.* Demo. *Curabitur.* Pla. *Potus est non nectareus, sed Philosophicus, rationem bibendi non adimens, nec corpora debilitans.* Ari. *Conuenit literis deditis, aliàs Minerua debilitata scientiæ fulcimentum laberetur.* Pla. *Puer patinam tolle, & bellaria appone, butyrum, caseum, nuces, & poma, mundáſq; quadras. De his edite epulis, si prior patina minus uestris arriserit palatis.* Cic. *Oppidò meis placuit faucibus.* Pla. *Edite perniciter, ne hic moremur diutißimè.* De. *Eruditißime*

præ

Digitized by Google

Præceptor, exoptaremus unum à te, ut doceres quale de-
beat esse conuiuium Philosophicum uel literatorum. Plat.
Quàm lubentissimè istud efficiam, uos quæ dicam sitienti-
bus auribus accipite. Arist. *Aduertemus diligenter.*
Plat. *Conuiuium Philosophicum, uel literarium, uel lite-*
ratorum, tenue erit cibis & frugale, sed prudentibus di-
ctis & factis prouidis abundantissimum, operámque quili-
bet adhibebit, ut doctior surgat à mensa, quàm ipsam ac-
cesserit. Cicero. *Quid si nullus fiat sermo doctus, Latinus*
& prudens? Plat. *Conuiuium Philosophicum dicen-*
dum non erit. Cicero. *Compotandone certabunt poculis?*
Plat. *Istud popularibus relinquant, ipsi literatis hau-*
stibus se inuicem exhilarent. Arist. *Obsonijs quibus us-*
centur. Plat. *Stomachum quæ non onerabunt, neque*
ingenij uires tollent. Demo. *Nunquam genio indul-*
gebunt, largius bibendo & edendo? Plat. *Ad pocula in-*
dulgere genio, quid aliud est quàm ingenium, memo-
riam, thesaurum scientiæ amittere & enecare? Cicero. *Ni-*
hil conuenit Baccho cum Pallade? Plat. *Dissident odio*
maximo. Demo. *Tamen Bacchus excitare ingenium*
dicitur, cùm quisque ad pocula discere conatur, & Man-
tuanus dicit: Fluit melior post pocula sermo. Plat. *Eru-*
ditorum est, longè à uulgo dissentire. Puer, hymnum à cibo
profer. Puer. Qui nos pauit sua gratia, sit bene-
dictus in secula. Con. Amen.

Diogenicum Conuiuium.

DIOGENES *hospes*, ALEXANDER, ARI-
STIPPVS, CHRYSIPPVS *conuiuæ.*

QVid ita admirabundus me aspicis tu rex Alexan-
der? Alex. *Aspicio te, quòd ita dolio insides in-*
ar porci uel canis, quum cæteri homines in domibus suis tecto

Digitized by Google

soleant agitare. Diog. *Mores hi mihi arrident, placeant aliis sui ritus, mea non refert.* Alex. *Ecquid petis à me Rege potente, totiúsq; orbis domino?* Diog. *Prorsus nihil, quàm ut illud mihi non surripias, quod dare non potes.* Alex. *Quod illud est?* Diog. *Stans ante dolium impedis solem, quòd uas meum non ingreditur, ideo discede, neque solis splendore potiri concede.* Alex. *Discedam lubens, sed estne quid edulij, quo hoc prandio stomachum satures?* Diog. *Tantum adhuc habeo, quo me pascam, sed tibi tuíque similibus uentri deditis non famem expleret, sed ad edendum excitaret.* Alex. *Dic cuius farinæ sit cibus?* Dio. *Frustum panis aridi, duri & mucidi, parúmque crudi & uiridis oleris.* Alex. *Non ad ignem coquis olus ipsum?* Diog. *Natura mihi ollam dedit, qua cruda coquo, digero, & corpori apta facio.* Alex. *Quæ ista est olla?* Dio. *Stomachus in meo positus uentre, nunquam quiescens, semper laborans & feruens ad insumpti cibi decoctionem.* Alex. *Frigidus cibus & crudus, non conuenit homini, ut medici dicunt.* Diog. *Natura medicorum est optima.* Ale. *Conuiuas nunquam uocas in hoc dolium tuum?* Dio. *Non, quia quibus ego delector & contentus sum, aliis hominibus displicent, & ab ipsis nauseant.* Alex. *Prandebimus hodie tecum nos tres, ego, Aristippus, & Chrysippus, si non ægrè tuleris.* Diog. *Conuiuæ mihi si esse uolueritis, esuriendum uobis erit, nam nihil est uestra delectans palatu.* Ale. *Tua erimus mensa contenti.* Dio. *Agite tum in terram discumbite, uel uestes substernite, neque lectos, neque sellas habeo.* Arist. *Esto, humi sedebimus, stratis tunicis, tu mensam obsonijs para.* Dio. *Mensa mihi est sinus, manus quadra, culter dentes.* Chrys. *Porrige nunc nobis edenda.* Diog. *Deum prius salutate oratione*

Digitized by Google

tionibus uestris. Alex. *Tu ut hospes hymnum praefare.* Diog. Deus totius vniuersi creator, rector & gubernator, humani generis plasmator, pascés creata omnia, panem & olus ac aquam iam sumenda nobis benedicat. Con. Amẽ. Dio. *Nunc acri morsu istos panis bolos edite & rodite.* Alex. *Hui, durus est nimium, dentes fermè elido mordendo.* Diog. *Hîc aqua intinge, ut molleſcat.* Arist. *Nihil pani addemus obsonij?* Diog. *De hoc crudo oluſculo aliquid addite, uel ſine obſonio ipſum comedite.* Alex. *Obſonium ubi deeſt, inſipidus eſt panis.* Diog. *Hîc in olla aliquid oleris elixi recondutum habeo, ſed tepidum non eſt, illud edite.* Chr. *Immunda eſt olla, nauſeo aſpicere, nedum ex ipſa edere.* Dio. *Si nauſeas, mihi ſinas, cui mel ſapit.* Alex. *Sito, panis mihi labia exiccat.* Diog. *Pura iſta lympha ſitim compri me, alius mihi potus non eſt.* Alex. *O tu miſerrime Diogenes, qui huiuſmodi victitas epulis!* Diog. *Miſer non ſum, natura quantum expetit edo & habeo.* Alex. *Malo me adhuc Alexandrum eſſe & regem, quàm Diogenem & Philoſophum pauperrimum.* Diog. *Et ego nollem è Diogene fieri Alexander.* Alex. *Prorſus nihil aliud habes quod edamus?* Diog. *Pyra & poma nonnulla mihi adhuc ſunt, ſed acerba & dura.* Arist. *Illis non capiuntur, nam dentes hebetes faciunt. Tu tale, nos noſtram reuiſemus aulam regiam & dapſiles lances.* Diog. *Abite, ego hîc in dolio naturæ rimabor effectus.*

Aristippicum Conuiuium, siue Aulicum.

ARISTIPPVS *hospes*, THEOPHRASTVS, CRATES, ANAXAGORAS, DIOGENES, & MINISTER.

O Diogenes è tuo proripe uase, & nobiscum congredere in Regis nostri palatium, pretiosioribus te excipiemus. Diog. Discedite ad uestram crapulam, ego mea delector media. Arist. Famelicè uiuas quoad placuerit, ipse aulicè uictitare malo. Diog. Tu patinarius es Philosophus, ipse contemplatione naturæ plus capior, quàm opimis tuis patinis. Arist. Alios conuiuas uocabo philosophos, si tu aduenire recusas. Diog. Id facito. Arist. Heus uos Philosophiæ cultores, Theophraste, Crates, & Anaxagora, pluteos uestros seponite, mecúmque in regiam aulam pergite sumptum cibum. Phil. Congrediemur lubentes. Arist. Adsitis, ac studio maceratas uires mensa opipara reficite. Phi. Comitabimur te, faciles sumus ubi conuiuæ uocamur. Arist. Ingredimini igitur, prandendi tempus est, Rex suique aulici mensæ accumbunt. Phil. In solum eamus locum, ubi aulicorum non est strepitus, & præsentia. Arist. Hanc cellulam intrabimus, & nos includemus, quòd non obruamur à pluribus. Phil. Tum aperi, & mensam obsoniis onera, esurimus acriter, nondum ientati sumus. Arist. Mox culinæ minister afferet edulia, en adest, ut lupus in fabula. Mini. Hunc cibum nobis Deus benedicat. Phil. Amen. Arist. Benedictus qui est in æuum, omnibúsque vniuersis imperat, cuncta suo nutu gubernat, benedicere velit ea quæ nunc sumemus corporis stabilimenta. Phil. Amen. Arist. Nunc cultros stringite, uoragines uestras his primis epulis implete, quoad lautiora dabuntur. Phil. Impigrè edemus, stomachos habemus fame trepidantes. Arist. Tum ipsis medeamini cibo & potu: de his aprinis clunibus uel leporinis sumite. Theo. Porcina carne prius uescemur.

Ari

Arist. *Istam relinquite familiæ, uos delicatiorem comedite. Ex hoc argenteo poculo omnibus uobis præbibo, & prius tibi Theophraste.* Theo. *In Ioue bibas nomine.* Arist. *Nunc bibas & tu, uinum est Lesbium.* Theo. *Illo teneor, nam meæ est nationis.* Cra. *O Aristippe tu hic argenteis edis patinis, aureísque bibis poculis: in nostris Musæis nos ligneis uasis bibimus & edimus.* Arist. *Sapere uultis, sed plurimum desipitis, qui macra mauultis mensa in latebris uiuere, quàm dapsilicè apud principes.* Ana. *Consulimus animæ nostræ, ipsam scientia & uirtute decorantes.* Arist. *At interim corpori obestis, & mortem macie præuenitis & anticipatis.* Anax. *Philosophos id decet impalleſcere chartis, non usque genio indulgere.* Ari. *Istud & ego quondam feci, optimisq; credidi, tandem fame compulsus, Aulicus, ut sum, fiebam.* Theo. *Philosophiam tu iam curas culinariam, sed nos literariam.* Arist. *Interdum etiam adhuc libris legendis incumbo, non totus ferior à literis.* Anax. *Malè conuenit per Herculem Philosophiæ studio cum opiparis patinis.* Arist. *Attamen dulce est corporis culturam gerere, simul & Philosophiæ utcunq; studere.* The. *Nos malumus ad lucernam latêre discentes & quieti, quam principum nutibus inseruire.* Ari. *Nescitis principibus uiris placuisse, non ultimam & postremam esse laudem.* Cra. *Laus maior uirtuti est placuisse & adhæsisse.* Arist. *Abeant ista, quisq; sua sorte uiuat, mihi hæc fortuna arridet. Assas istas carnes ferinas decerpite, uinóque pretioso isto utimini.* Th. *Saturi sumus, tollantur dapes, domum uersus regrediamur ad codices nostros.* Ari. *Quando lubet, non uos morabor.* A. *Hymnũ igitur à cibo nobis ut hospes reddite.* Ar. *Laus, honor, & gloria sit sempiterno*

Ioui,cœlo terráq; imperáti,quòd cibis nos pauit, famelici qui fuimus. Ph. Amẽ. Ar. *Nunc literaria uestra antra repetite, chartas uoluite & inuertite.* Ph. *Tu uale, grati quandoq; erimus, quando licebit.* Ar. *Non moror gratiam uestram, me alit Rex, & portat equus.*

REX, REGINA, DVX, OBSONATOR, CANCELLARIVS, SECRETARIVS, CVBICVLARIVS, STVLTVS, & SERVVS.

Regium Conuiuium post ferias Epiphaniæ.

O *Mea regina pulcherrima, quando conuiuium nostro regno & imperio debitum, nostris aulicis exhibebimus & faciemus?* Reg. *Quando domino Regi meo generosissimo placuerit.* Rex. *Quid si ad hodiernam uesperam ipsius sumptus faceremus?* Regi. *Non displicebit mihi.* Rex. *Habes quæ cœnam delicatam redderent?* Regi. *Sunt mihi gallinæ tres, duo capi, mediúsque agnus.* Rex. *Sufficiet, gallinas cum carne agnina elixa, capos & agni medium ad ueru coquas.* Regi. *Executum reddam.* Rex. *Sic fácito, ego interim aliis intentus ero.* Obso. O *Rex noster, quando regale conuiuium tuis aulicis parabis?* Rex. *Ad uesperam, tu obsonatum eas, curáq; ut singula in cœnam sint parata, aut tuo defungeris magistratu.* Obso. *Fidelis ero.* Ser. *Magnifice domine Rex, sternam mensam? obsonia singula penè sunt percocta.* Rex. *Exequere tuum munus, adsuntne ministri & satellites nostri?* Ser. *Ad unum usq; hîc domi sunt.* Rex. *Age, tum auspicemur cœnam, potum habendum fác promas, uimíque copiam affer, & intrent amici cæteri, nostræq; Aulæ domestici.* Ser. *Iussa bebo.* Iussit & uult generosus Rex meus, *ut intretis hybernaculum.* Con. *Intrabimus modó. Salue Rex potentissime.*

Digitized by Google

sine. Rex. *Rex sum nomine, sed sine regno.* Con. *Denique egregium habere nomen, nonnullos delectat, & præstat quàm uocari ignominiosum.* Rex. *Mensam ordine accedite, Dux, Cancellarius, quisque ut gradu est superior, ita & accubitu sit.* Con. *Discumbat & Rex noster.* Rex. *Modò accumbam, & Regina mihi assidebit. Puer, benedictionis hymnum effare.* Puer. Benedicite. *Con.* Dominus. *Pu.* Huius cœnæ regalis esculẽta & potũ benedicat ille, qui Rex regũ est, nobísque faxit sint salutifera, qui hæc ipsa in sui facimus memoriã, quòd ipse in mundũ natus homo, die decimotertio tres Reges, & Magos suo aspectu exhilarauit. In nomine Patris, & Fiij, & Spiritus sancti. *Con.* Amen. Rex. *Nunc hilares sitis potu & cibo, strenuéq; edite, sic ego iam Rex uester impero & uolo: istam carnis buccellam domina Regina mea grato accipiat animo.* Regi. *Gratia sit domino Regi.* Rex. *Vos nostri Aulici, Chrysippi non sitis, sed cutitulam curate basilicè.* Con. *Bibat Rex, tum & nos alij bibemus.* Rex. *Propino Reginæ meæ nobilissimæ.* Regina. *Prosit domino Regi.* Stultus. *Rex bibit, Rex bibit: tandem cessa, noli exicecare, & mihi quippiam relinquas.* Con. *Quàm minimè facetus est morus ille.* Stultus. *Clamando fatigabor.* Rex. *Serue, assas affer carnes, & hæc aufer.* Ser. *Mox faciam. Hìc est dominus Dux, Secretarius, Cancellarius, Cubicularius, quisque eorum dominum Regem & Reginam donant duabus uini mensuris.* Rex. *Gratiam habeant, certè minimè decet Regem uino donari à suis famulis.* Con. *Nónne & Reges imperiorum à subiectis aluntur colonis?* Rex. *Fateor. capos illos tostos, tu Secretari rumpe, fruſtáq; assidentibus propone,*

nosti quomodo sit ad mensam ministrandum. Sec. *Libens faciam ex Regis iussu.* Reg. *Regi hunc calicem medium præbibam.* Rex. *Sit commodo Regine.* Con. *Regina bibit, exclama tu fatue, ut deuoras cibum ac uultur.* Stul. *Regina bibit, Regina bibit, Regina bibit.* Rex. *Agnimam illam carnem frustulatim dissecta tu Cancellari.* Canc. *Perplacet, hoc frustum Rex noster sibi retineat.* Rex. *Hilares agite sitis; post seculum Gentiles hanc occupabunt terram, ut uulgo fertur.* Omnibus *hoc poculum præbibo.* Canc. Non *obsit Regi.* Stulte *clama, Rex bibit.* Stul. Rex *bibit, Rex bibit, Rex bibit.* Rex. *Tolle hæc serue, nemo ipsis uescitur, bellaria affer.* Ser. *Adsunt.* Rex. *Et orbes puros propone* Seru. *Feci.* Rex. *Caseo hoc cibum subsidere facite, & butyro lenes facite animos.* Secre. *Ad iugulum usq; saturi sumus, nequimus omnem pœnum stomacho recondere.* Rex. *Attamen buccellam minimam edite.* Can. Non *recusamus istud.* Stul. Regi *domino meo præbibo.* Rex. Pro*sit magnifico domino stulto.* Can. *Stultus bibit, stultus bibit, stultus bipsit, bipsit, bipsit.* Stul. *Salua Grammatica loquimini.* Canc. En *& stultus Grammaticæ peritus est.* Rex. *Serue, tolle singula, omnes dormiturium, uideo.* Cub. Nox *intempesta adest, cubitum eundi tempus est.* Rex. *Puer, gratiarum actionis hymnum loquere.* Pu. De hoc cõuiuio benedicamus Domino. *Can.* Deo sit gratia. *Pu.* Ille qui est ab æuo, manétq; in æternũ vnicus & solus Deus, & nos suis muneribus pascit, saluat & viuificat, sit benedictus in secula seculorũ. *Con.* Amen. Rex. *Vos boni amici & Aulici gratis animis accipite quæ affuêre: meliora daturus sum, dum imperium meum locupletius factum fuerit.* Con.

Gratiam

Digitized by Google

Gratiam agimus, habemus & referimus domino Regi & Reginæ, de beneuolentia ostensa & impertita nobis.

Conuiuium Amicorum.

SOCRATES *hospes*, IOANNES, PETRVS, PHILIPPVS, CONVIVAE, XANTIPPE *uxor*, MINISTER.

HEsterno die cõuiuas uos uocaui per ministrum meum in hodiernum prandium, estisne uenturi? Con. *Sumus utique.* Soc. *Tum me iam comitamini, meridies instat.* Con. *Perplacet.* Soc. *Hilares spero erimus, nisi uxor mea quippiam litis inceperit.* Con. *Est tum iam per te offensa?* Soc. *Veteri suo more ob asini prospectum iurgia parat.* Con. *Nos ipsam crateribus faciemus lepidam & placidam.* Socr. *Salue mea Xantippe, hic mecum uenimus amiculi nostri, in hodiernum prãdium à me inuitati.* Xant. *Gaudeo, sint salui uestri aduentus amici intimi.* Con. *Gratiam habemus.* Xant. *Manibus abluitis, quando lubet ite acubitum.* Socr. *Fiat, uos amici uestes exuite, feruet hybernaculum calore, & ingredimini.* Con. *I tu prior.* Soc. *Sequimini, præcedam.* Con. *Hic tõmodior est aër, quàm foris, ubi mugit Boreas.* Soc. *Foris nasus muco concrescit ambulanti.* Xantippe, *quando uisum tibi fuerit, edulia fac afferri.* Xant. *Iam adducentur.* Ser. *Hic cibus edentibus sit salutaris.* Socr. *Edenda consecra.* Ser. Benedicite. Con. Dominus. Ser. Quibus hoc in prandio vescemur, alimenta & potus benedicta velit esse ille, qui omnibus benedicere solet, solus salutem affert, exitiáque tollit. In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Con. Amen. Soc. *Cultellos mensæ imponite, & è patina*

comed

Digitized by Google

comedenda accipite amicißimi conuiuæ. Io. Non cures, ad mensam desides non erimus. So. Ab oluscvlo si abhorret quis uestrum, seponat, & carnes edat. Pet. Olcribus lubentes pascimur. So. Non admodum tinctum est. Phi. Istud nihil refert, pinguedo nimia uocis affert raucedinem. Soc. Bibite & nunc, ne aridus in stomacho marcescat cibus: ceruisiæ haustu ad mensam semper primum sumere soleo. Pet. Per Herculem opipari saporis est Cereris iste potus. Soc. Domesticus meus est potus, satis uilis, nam fruges perquàm carè uæneunt, ideò & magis exiguum oportet coquere ceruisiam, non multum possidentem. Xan. Pernas illas, aut caprinas carnes uel uitulinas rodite, quæcunque cuilibet sapuerint. Ioan. Hospes, cypho hoc dimidio te impertiar. Soc. Bibas salutiferè. Ioan. Nunc & tu bibendo par pari referas. Soc. Inuitus maneo debitor ad pocula. Vxor, haustum amicitiæ tibi propino. Xan. Sit tibi bono. Petre præbibo tibi. Pet. Accipio lubens, tibi non incommodet. Xan. Petre, æquali haustu & alteri præbibas. Pet. Philippe, tantum tibi propinabo, quantum accepi ab hospita nunc nostra. Phil. Feliciter bibe, ut dignum est accipiam abs te lubentißimè. Soc. Serue, carnes affer recentes (ut uocant) nitidósq; orbes propone cuilibet. Ser. Efficiam. Soc. De his agninis carnibus edite, ad esuriei expulsionem: assas carnes non expectetis, nam frustraremini. Pet. Quantum sat est habemus, plura non exoptamus. Soc. Licet parcè instruxi focum, tamen ut amicos uos uocaui, credens uos boni consulturos mensæ tenuitatem. Io. Amici ad amicorum lances caseo & Cerere redduntur contenti. Soc. Serue, affer bellaria, hæc que conde, uel culinæ affer ministræ. Ser. Exequar. Soc. Hîc nunc omnia habuistis obsonia: si stomachos impleuistis,

gaud

gaudeo: sin minus, boni tamen consulite. Ioan. *Satis superq; præsto adfuit edulij.* Soc. *Serue, hymnũ gratiarum rumina & lege.* Ser. Benedicamus Domino. Con. Deo gratias. *Ser.* Dominus dominantium omniúmque quæ in cœlo & in terra sunt, imperator & conseruator, de his à nobis sumptis nutrimentis, gratiam habeat in æternum. Conu. Amen. Soc. *Aequis animis accipite quas obtuli escas, lautiores alia dabo uice.* Ioan. *Lautissimè fouisti nos, gratos aliquando nos exhibebimus.*

Funebre Conuiuium.

FILIVS *parentibus utrisq; orbatus,* HOSPES, MARTINVS, CONRADVS, ARNOLDVS, & MVLIERES *aliquot.*

O *Me infelicem adolescentem, me desolatissimum iuuenem, me miserrimum hominem, quò me nunc uertam? quid uita mihi opus est? mors præstaret: cur uiuere exoptarem, cùm mihi amicissimi parentes mei obierint, sola mea solatia & spes quæ fuêre?* O *tu crudelissima mors, quàm acerbè me conturbasti!* Arno. *Vt ita agis? ut sic eiulas & lamentaris, pudètne te?* Fil. *Ah, quid me puderet? præ dolore & mœstitia quid agam ignoro.* Con. *Animam sume, precare Deum, ut parentum animæ quiete cœlesti fruantur, lachrymis ipsos in uitam non reuocabis.* Fil. *Ah, ah, uellem & mihi pestis uitam adimeret.* Arn. *Taceas illa, nondùm Deo uisum est ut moriaris, mortem precari noli, adhuc citius quàm placebit, tibi aderit.* Fil. O *Deus miserere mei miserrimi, & ab hac luce tollas, ut unà sim cum Manibus meorum dilectorum parentum.* Muli. *Lachrymas siste & precare requiem tuis defunctis parẽtibus, nos huc uenimus uinũ afferentes*

rentes consolatum te, simúlq; & tecum exporrectum frontem. Fil. Nunc non est mihi neque animus, neque tempus lætitiæ, frustrà aduenistis, exhilarari re nulla possum. Mul. Animum lætum tibi reddemus fauente Deo, antequàm hinc abibimus. Fil. Istud si poteritis, admirabor: credo quòd si natura mea à summo Ioue immutaretur, uix lætus fierem, adeò totum me luctus dolor omnibus partibus corporis, ut sagitta, penetrauit. Mul. Vino te ab omni mœrore illo liberabimus. Fil. Tum potitabo uobiscum, ut animum recipiam. Conr. Cibum & uinum nos afferimus, quo te donabimus, & ipso animum tuum aspergemus, ut alacrior fiat, ut mente capti aqua perfunduntur. Fil. Sedete, iubebo mensam sternere seruum. Mul. Nos ipsam linteo ipsæ tegemus, sine famulum suum pensum persoluere. Fil. Nunc edite & bibite, si quid opipari attulistis è uestris penatibus: hìc omnes sumus luctu obruti & consternati, quòd ciborum penitus obliuiscimur, pane & potu contenti. Mar. Hac uice oculos à lachrymis terge, & genio indulgeas. Fil. Vix potero. Con. Vno aut altero calice epoto redibit mentis alacritas, hoc poculo integro te consolabor, ut post me ipsum & tu ebibas. Fil. Timeo ut potuero, gemitus & cordis tormentum uix concedet. Arno. Conandum quippiam præter opinionem, non dimittendus animus, constantia uel magnanimitas uiros & arguit, & commendat: flere, lamentari, eiulare, mulierum sunt, uiris inhonestissima. Con. Poculum fac ebibas. Fil. Propino tibi amicissime. Mar. Accipiam libenter, bibas felici omine. Ar. Propino tibi Ioannes dilecte, in honorem tuorum proborum parentum, morte iam ablatorum tibi. Fil. Illorum nomine per uices post te bibam. Vicina, hunc calicem ebibam, uic

& tu

er tu deinde ipsum exiccare ſi tibi præbibero? Mul. Volo, etiam ſi adhuc duplo eſſet maior. Filius. Vt bibero, ita poſt me potabis & tu. Mul. Faciam. Filius. Viáin? exorpſi, elambes & tu. Mul. Non omittam, tibi propino, Conrade. Conr. Bibus nomine ſuperûm. Arno. Vt nunc te habes Ioannes dilectiſſime, nuſquam mœror diſcutitur tibi in animâ? Filius. Labaſcit, non nihil hilarior fio. Mar. Vinum ſolet hominum curas utcunque magnas ſoluere. Filius. Gaudeo uos me acceſſiſſe conſolatum, ſi unquam licebit per opes, rependam. Miror tamen unde mos ſit ortus per uinum & conuiuium conſolandi lugentes defunctos. Ar. A Gentilibus Thracibus, qui hominum puerperia luctuoſa, ſed funera læta, habuerunt.

Conuiuium Nuptiale.

SPONSVS, ANNA ſponſa, PARENTES amborum, AMICI inuitati, FAMVLI, & Citharœdi.

VInCti nunc ſumus iugo matrimonij & capiſtro inextricabili. Anna. Laus ſuperis, noſtrum matrimonium fortunet ſupremus. Spon. Id faciet ſpero, ſi nos concorditer uixerimus. Pa. Salutem exopto tibi fili mi. Spon. Gratiam habeo mi pater. Pa. O filia mea, fáç cum tuo marito uiuas tranquille. Anna. Diſcors ipſa nunquam ero, ſi ipſe non litem ſeminauerit. Pa. Ambobus ſit felix, fortunatum coniugium. Spon. Sic faciat Dei filius, ipsáq; uirgo Deipara. Pa. Sponſus menſæ accumbat, tum & inuitati diſcumbent. Ami. Felicitatem initi matrimonij optamus ſponſo & ſponſæ. Spon. Gratia ſit uobis omnibus. Par. Saluos uos aduenisſe gaudeo innomine ſponſi & ſponſæ. Ami. Vbinam ſponſum conueniemus? Pa. Iam aderit. En aliâs inter amicos nugatur

tur, eum accedite. Ami. *Salue sponse, gratulamur tibi ob hanc diem genialem, nouámq; tuam nuptam, & multum optamus felicitatis.* Spon. *Par uobis Deus referat, & quò dignati estis meas inuisere nuptias.* Ami. *Maiora tuorum parentum causa faceremus.* Spon. *Mutuum reddam, si quandoq; inseruire potuero uobis: nunc discumbite, edendi tempus est.* Ami. *Obsequamur.* Spon. *Vos famuli fercula afferte.* Famu. *Præsto sum, tu conuiuis præponito.* Spon. *Istud uos exequimini, ipse prædium consecrabo hymno.* Benedicite. Ami. Dominus. Spon. Christus Dei filius, hoc prandiũ benedicere velit, sua gratia donare, & nostro huic interesse cõ uiuio nuptiali, vt quondã in mũdo humana carne in Cana Galilææ, cũ gloriosa sua matre Maria dignatus fuit adesse. Ami. Amen. Spon. *Nunc amici omnes, patinis & poculis uos cõsolamini & reficite.* Ami. *Facere istud esuries nos bellè docebit.* Spon. *Fortiter edite, satiemini & cibi proponetur.* Ami. *Sponse, propino tibi in felicitatem tuarum nuptiarum.* Spon. *Sit saluti. Amici mei, cognati & agnati præbete uos hilares rogo.* Ami. *Faciemus, ne cures. Quomodo pugni tibi placuerunt, quos hodie in templo accepisti, fuerúntne molesti?* Spon. *Mordebant me nonnihil, tamen in hoc me consolabar, quòd uibices non intulerunt.* Ami. *Cur plagis ita nouos sponsos tundant, scisne?* Spon. *Ignoro, nisi quòd consuetudinis est.* Ami. *Audi, tibi dicam, sed ioco excipias.* Sp. *Non me offendet.* Ami. *In æde sacra noui spõsi pugnis afficiuntur, ut assuescant tum uerba, tum uerbera ab uxore, noua sua sponsa ferre.* Spon. *Portendit illud?* Ami. *Vtiq;, sed compertúmne habes cur cereum lumen ardens sponsæ præferatur in templum?* Spon. Non. Ami.

Ideo

Ideo, qui uxorem ducit domum, flammam in ædes accipit, & perpetuum tormentum. Spon. *Spero talia me in sponsa mea non habiturum.* Am. *Neque istud nos credimus.* Pa. *O' fili circumcamus exceptum conuiuas, cano ussa preposita est.* Spon. *Congrediare tu pater, meo loquere nomine.* Paren. *Agimus, habemus, & referimus uobis gratias, sponsus, sponsa, nósque ipsorum parentes, agnati & cognati, par paricp; rependemus, ubi obsequio nostro indigueritis.* Ami. *Gratiarimus: quòd aduenimus, sponte & lubentes fecimus.* Spon. *Vos ministri tollite singula, tempus est ut munuscula dent amici, & choreæ ducantur.* Famu. *Faciemus uelociter.* Spon. Gratiam dicamus Domino Deo, qui nos paruit, suáque gratia has nuptias fortunare velit. AMI. Amen. *Hoc munusculo aureo sponsum & sponsam donamus, quoad nostri filij adoleuerint, tum repetemus.* Paren. *Gratiam referemus, & recompensabimus.*

Conuiuium Epicureum.

ZENO *hospes*, SARDANAPALVS, PHILOXENVS, *& AESOPVS conuiuæ*, SERVVS.

O Vos discipuli mei & conuiuæ, quid in mundo felicissimum esse creditis, hominíque summum bonum? Sarda. *Incerti sumus. Tu nos præcepter instrue.* Ze. *De summo hominis bono in mundo sententiæ fuerunt uariæ, aliqui in gloria, in diuitiis nonnulli, alij in uirtute, alij in sanitate corporis ponunt: omnibus autem illis nos uerius dicimus in uoluptate corporis, in cuticula scilicet curanda esse situm optimum hominis bonum.* Philoxe. *Qui hoc scimus colende præceptor?* Zeno. *Contemplamini animalia tam bruta, quàm rationalia, omnia uidebitis natura esse procliua in uoluptatem, in*

gulam, in crapulam & esuriem: famem ægrè ferunt, ferréq; diu non possunt. Aesop. Sentio & in meo corpore calcar esse incitans me ad curam palati, stomachi, gulæque saturitatem & expletionem. Zeno. Quod natura omnium rerum parens & altrix ingenuit homini, quis hoc pessimum diceret? Ser. Certè nullus sanæ mentis. Zen. Optimum est, quod conducit, prodest & iuuat: nónne? Phil. Inficias ire salua fronte nemo potest. Zeno. Voluptas autem uel cura corporis, ipsi homini confert plurimum, uitam conseruat, corpus alit, quo fulcito & uiuo, etiam anima, in homine pars nobilissima, ualet: corpus enim est animæ stabilimentum & fulcimentum. Aes. Abeant igitur ærum[illegible] Solones, famelici illi Philosophi, qui sua fraudant g[illegible], se macerant, malúntque stomacho inani & uano ph[illegible]phari, quàm saturi & pleno uentre. Zeno. In[illegible]as uos iurate leges, mihi uos addicite, Philosophiam [illegible] docebo, & animæ & corporis culturam afferentem. Sar. Tuæ ferulæ subdemus manus præceptor colendissime. Ze. Non olim fecisse uos pœnitebit, erudiam namque uos in Philosophia lucernaria, quam ad lucernas domi agentes imbibunt Sophi ipsi. Deinde Philosophiam Epicuream & uoluptuariam, qua apud uulgares passim in tabernis, ubiq; apud principes & reges, grata sit uestra & præsentia & conuictus. Philoxenus. Quæ ista erit Philosophia uoluptatis? Zeno. Vt aliis præscribere poteritis, quomodo studere crapulæ, gulæ & uentri debeant. Sardanapa. Istud si noscerem, in loco uiatici magni æstimarem, nam nosco complures, qui omnia metiuntur crapula. Zeno. Xerxes Rex Persarum repertori nouæ uoluptatis constituit pretium. Philoxenus. Ecquid ærumnosis aliis

Philo

Philosophis præmij pollicitus est, qui abstinentia uictitandum esse dicunt? Æsop. Illis medium digitum ostenta. Zeno. Permulti ubiuis gentium nostram sententiam sequuntur, diu noctúque poculis & patinis addicti. Phil. Apud Milesios magno in pretio uoluptas habetur, fames spernitur, expellitur, extremúmque malorum æstimatur. Zeno. Sybaritæ delicatissimè uictitantes in annum integrum, unius conuiuij apparatum fecerunt, conuiuas ante anni spatium uocauerunt, quo se ornandi restaret sat temporis. Sarda. O' térque quatérque beatos & sapientes illos Sybaritas! Æsop. Tarentini quoque molles & delicati sunt nuncupati, ob uoluptatis assiduum studium. Phil. Præcepta nobis præbe, quo illam uoluptatem, felicissimum hominis bonum, amplecti poterimus utrisque brachiis. Zeno. Faciam, aduertite: Quoad uixeritis, edite, bibite, ludite: & cùm uos mortales noritis, præsentibus uos explete, post mortem nulla uoluptas, post funera puluis eritis, ea habebitis quæ libidine exaturata in uita hausistis. Vt quondam Sardanapalus ille noster rex Assyriorum in sepulchri sui Epitaphio inscribi iussit. Sard. Quàm miseri hactenus desipuimus chartis additi, inedia uitam egimus. Zeno. Tandem resipiscite: non minus poculis & patinis, quàm lucernis Philosophicis dediti sitis. Phil. Exequemur fidelissimé. Zeno. Edite, bibite, curate cuticulam, genio indulgete, sic & hominibus accepti eritis.

Conuiuium Caninum, vel Cereale.

SALACON hospes, CODRVS, YRVS, AMYNTAS, conuiuæ.

SAluete sodales mei pauperrimi: quid hic gradum sistitis, nihil uobis domi est negotij? Cod. Nihil, neque

negotij, neque cibi, neq; potus, sed esuriei plurimum. Sal. *Caretis & pane & aqua?* Yrus. *Satis multum aquæ in ædibus habemus, sed illa sitim, non famem comprimit.* Sal. *Si esuritis, uenite ad meos penates mecum comessatũ.* Am. *Ah, quid tu nos aleres? tibi frumenti est penuria & uictus.* Sal. *Domi meæ mihi tantum adhuc suppetit commeatus, quo uos saturabo uestrásque coniuges.* Con. *Credimus, uerbis nos pasceres abundè & nugis, at non mensæ pabulo.* Sal. *Stomachis uos farciam, crepitantia intestina pacata efficiam, saltem credite & congredimini.* Yrus. *Fidem damus, sed uide ne nos ludo habeas.* Sal. *Ridere non soleo amicos, licet ærumnosus sim.* Con. *Quid nũc cibi habes quo uescemur?* Sal. *Aliquot mihi sunt frusta panis ostiatim collecta, dura & fortè mucida, uilisque ceruisia, & iusculum emendicatum.* Am. *Victus est nobis genuinus, ad stipem nanque rogandam nati credimur.* Sal. *Sedete & quiescite, in cibi sportula edenda quæram.* Con. *Sed propera, acriter esurimus.* Sal: *Istos orbes panarios adipe limitos edite procemij loco, quoad aliud attulero.* Amy. *Precemur prius Deo nostro redemptori hymnum.* Sala. Benedicite. *Con.* Dominus. *Sal.* Christus Dei filius Deus & homo qui suo gratioso sanguine nos redemit, dignetur nobis exiguum & cereale prandium benedicere, qui sui sumus exẽplar paupertate & mendicitate nostra. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Con.* Amen. Sal. *Orbes nunc illos panarios carne unctos edite, caro discessit in aluum diuitum, nobis pauperibus in his orbibus reliquit pinguedinis uestigia.* Cod. *O' quàm mellitè sapiunt!* Yrus. *Longè dulcius carnes, cuius iusculo madent, sapuerunt.* Am. *Optimum condimentũ fames est.* Co. *Verùm*

crudas

crudas fabas (ut uulgò fertur) sapere ac coctas efficit. Sal. Nunc eleemosynas has edite, duræ sunt, attamen stomachum replebunt æquè ac mollissimæ forent. Yr. Sitio. quid in lignea hac lagena est potus? Sal. Cerusia est è solo furfure cocta, quam uulgò tenuem potum dicũt. Cod. Pitissabo eam. Sal. Facito, fortè palato non displicebit. Cod. Vtcunque ualet, uerùm non satis igne est elixa. Sal. Stomachus consumet quod ignis calor nõ præstitit. Am. Præter hoc nihil quod edamus habes? Sal. Nonnihil iusculi mihi est, sed frigidum, lignis careo, aliâs calidum facerem. Am. O te miserrimum Salaconem: cares lignis, tamen foris ambulas lautè uestitus ac opulentissimus esses. Sal. Interdum conductitiis me orno uestibus. Cod. Mortalium omnium nos miserrimi sumus, qui ad crepidinẽ & fores diuitum coginur commeatum conquirere. Sal. Miseriæ nostræ meminit Plautus, dicens: Miser homo est qui ipse sibi quod edit, quærit, & id ægrè inuenit: sed illo miserior qui & ægrè quærit, & nihil inuenit: ille miserrimus, qui cùm esse cupit, quod edat non habet. Am. Sperandum, quòd aliquando nostra fortuna immutabitur, nam omnium rerum (ut Comicus dixit) est uicissitudo. Yr. Salus unica nobis est, ut Capnion scripsit, quòd nihil possumus perdere, cùm nihil habeamus. Sal. Diuitum uita semper est solicita & curarum plena. Con. Hinc soluemus anchoram, emendicandi iam hora instat, nam apud diuites modò mensæ tollentur. Am. Hymnum gratiarum actionis dicas. Sal. Deus pauperum consolator, omniúmque alumnus, de habitis his bolis gratiam habeat, nobísq; sit auxilio, vt alias dapes precarias nanciscamur. Con. Amen. Sal. Nunc quisque diuitum aulas adeat, stipem precatum in cœnam. Con. Fiet, tu uale.

Conuiuium Plebeium, vel vulgare.

HENNO *hospes*, GRETA *uxor*, DROMO, PARMENO, SIMO, *uicini & conuiuæ.*

DRo. *Vbi est noster uicinus* Henno? Gret. *Non procul abest, quid ipsum quæritis?* Dro. *Conuiuæ sibi esse uolumus, si integrum fuerit.* Gre. *In horreo est, dans pabulum equis, aduocabo ipsum. Heus, heus* Henno *adsis.* Hen. *Quid me uis?* Gre. *Hîc nonnulli te conuentum expetunt.* Hen. *Adero celerrime, ô mei uicini quid nostri aduentus portendunt, quidue aduenistis.* Sim. *Venimus tecum pransuri, domi nostræ culinæ algent, uxores in agris sunt & hortis.* Henno. *Per Herculem infelici auspicio aduenistis, ignoro an noster focus splendeat.* Greta, *ecquid in prandium nobis paraßi edulionum?* Greta. *Oluſculum cum duobus fruſtellis carnis porcinæ.* Henno. *Sufficiet, tum & butyro ac caseo uescemur: sed est ad edendum maturum?* Greta. *Penè, quando uolueritis, linea mensam tegam, & prandium parabo.* Hen. *Quàm primùm potueris, facito, hi uicini fortè esuriunt.* Parm. *Non usque adeò.* Henno. *Ex aquali lauetis manus, & mensæ assidete.* Dro. *Fiet nunc quisque apud se orationem dicat, hîc nullus est qui Latinè cibum benedicat.* Henno. *Ipse dicam.* Benedicite. In nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. Amen. Parmeno. *Est benedictio admodum succincta.* Henno. *Eam Parœcianus quondam docuit me. Olere & carne illa porcina famem pellite, uenistis sitibiti hospites, ideò & præsentia boni consulite: si aduentus uestros præsciuissemus, splendidius paraussemus cibum.* Parm. *Sileas, illa domestica patina & in ædibus nostris uiuimus, quid ni & tum apud te ipsa essemus contentis*

tenit Sim. *Multi patinas alienas spernunt, & in suis turpiter nudo pascuntur pane.* Dro. *Ipse reiicio & contemno nihil præter pugnos.* Gre. *Edite de olere illo: hodie in hortulo nostro recens est decerptum.* Par. *Belli saporis est, nam adipe madet.* Sim. *Porcina caro illa pinguet admodum.* Hen. *Sus erat nostra cura alitus & educatus. Simo, tibi præbibo de hoc potu nostro domestico.* Sim. *Tibi non incommodet.* Dro. *Tu mihi propines, nam sitio acerbè.* Sim. *Postquàm bibero, tibi lagenam porrigam.* Dro. *Bibe raptim, morari nequeo.* Hen. *Tu uxor mea dilecta, lactis coagulati aliquid prome, si quampiam delectaret.* Gre. *Afferam, sed fortè dulce non erit.* Hen. *Salubrius est sine dulcedine.* Gre. *Qui capitur lacte, edat.* Dro. *Plurimum meo arridet palato.* Par. *Tempore æstus stomacho conuenit admodum, quia frigore ipsum perfundit.* Hen. *Si lubet, cibo non parcite, aut carne, aut lacte uescimini.* Par. *Adulti sumus, edendum esse scimus ad dapes & patinas.* Hen. *Caseum si quem habes pinguedine conditum, non è uitiato lacte paratum, eum deprome, & butyri recentis nonnihil.* G. *Butyri illud Maio mense contusum à me, eo panem linite.* Hen. *De hoc caseo sumite aut butyro, ut lenes animis efficiamini.* S. *Vicine noster Hemo, tibi propino.* Hen. *Salutem opto imbibas.* D. *Fac tolli mensam, nobis in rus ad uxores eundum est.* Hen. *Vxor conde singula.* Gratia sit cunctipotenti Deo, qui nos alit sua clementia, crescereq; è terra facit, quo nos indigni vescimur, per CHRISTVM Dominum nostrum Con. Amen. Hen. *Vicini mei parcum hoc prandiolum gratis accipite animis, uile fuit, ut uillicorum solet esse mensa, uino caruimus, nam carè uenit, bibentibusque*

obesse solet. Con. Tibi nunc agimus gratias: si aliquando tibi libuerit, rursum & ad nostras edes patinas.

Conuiuium Diuitum, siue opulentorum.

CROESVS hospes, CRASSVS, ALCHMEON, TANTALVS, SERVVS, & VXOR.

SErue, i uocatum ad me Crassum, Alchmeonem, & Tantalum, ut mihi in prandio sint conuiuæ, aliôqui soli cœnaturo. Ser. Ibo facessum mandatum. Croesus. Dic me nolle ut emaneant. Ser. Eloquar. Salue Crasse. Cras. Et tu. Ser. Rogat herus meus ut sibi conuiua esse digneris. Cras. Certè minus mihi iam est integrum. Ser. Iussit, ut dicerem se nolle recusari, etiam Alchmeonem & Tantalum uocabo. Crassus. Age, tum ueniam. Ser. Facias, abeo quæsitum & alios duos. Sis salua mi Alchmeon. Alch. Tu quoq; Ser. Herum meum cõuenire debes iam in prandium. Alchme. Prandebit solus? Ser. Non, sed Crassus ipse aderit, & Tantalum iam ibo uocatum. Alch. Tum lubens adueniam. Ser. Præter uos tres penitus neminem ad mensam inuitauit. Alch. Abi Tantalum quæsitum, ego me accingam. Ser. Ibo, Salue Tantale honestissime. Tan. Et tu salue fis. Ser. Vult dominus meus ut secum prandeas, est quòd te conuentum cupit. Tan. Iam uolebam auspicari prandium. Ser. Parcas isti impendio in uesperam, & ædes nostras inuise. Tan. Auscultabo, & comitabor te. Ser. Sic facies, & hero meo rem gratam facies. Croe. Aduenire uestrum est gratum mei amici: uocaui uos, aliôqui solus prandissem, quo nihil magis aduersum mihi est. Con. Et nobis acceptius nihil est, quàm aliena uiuere quadra. Croe. Manibus aquam præbe tu serue, lauetis deinde accumbite. Tu Crasse istuc sedeas, tum tu Alchmeon, deinde

deinde Tantale accubitum eas. Crassus. *Tu hospes, supremè ac prior accumbas.* Crœ. *Hic mihi & mea uxori est fœcndi locus.* Benedicite. *Con.* Dominus. *Crœ.* CHRISTVS saluator omnium, redemptor & credentium, nobis huius prandij alimēta benedicta facere velit, vt ipsa in salutem animatum sumamus. *Con.* Amen. Crœ. *Has gallinas dirumpite, & iusculo exotico bolos panis madefacite.* Con. *Non negligemus.* Crœ. *Serue uinum cyathis infunde uetus & nouum.* Ser. *Effectum reddam.* Crœ. *Bibite hilariter hospites mei, sat nobis largiar.* Alch. *Impigri ad epulas esse solemus.* Crœ. *Poculum hoc nobis præibam, ut grati uestri sint aduentus.* Tan. *Salutifere sumas haustum istum.* Crœ. *Serue tolle hæc, & assas carnes præbe & puras quadras.* Cras. *Alchmeon calicem medium tibi præbibo.* Alch. *Sit commodo.* Cras. *Nunc & tu bibe.* Vxor. *De his perdicibus, uel lepore aut capis illaridatis edite, quisq; suo palato iucundum accipiat.* Crassus. *Crœse hospes propinabo tibi, si alteri præbibere uolueris.* Crœsus. *Bibe, mei muneris ad pocula immemor esse non soleo.* Alch. *O quàm delicatos & uoluptuarios dies agimus nos opulenti, cùm interim pauperes esuriant.* Tan. *Panis uix sat habent nonnulli inopum.* Crœ. *Opum mihi tantum est, quo exercitum alere uellem copiosum.* Crassus. *Et ego frugibus & ære abundo non parum.* Tan. *Argenti & bonorum acerum & ego possideo.* Crœ. *Viuamus igitur genialiter.* Cras. *Posteris meis non multum relinquam.* Tan. *Opibus ego quoad uixero potiar: nepotes mei si egebunt, quærant ut ipse quondam feci.* Vxor. *Sed interim cibi estis immemores.* Crœ. *Serue bellaria affer.* Cras. *Illa non*

Digitized by Google

Expectabimus, aliò nos uocant negotia, sic hymnum legi nobis abeundum est. Cræ. Benedictus qui est in secula seculorum, nostro nomine habeat laudem & honorem, nostríque misereatur. Con. Amen.

Conuiuium Paschale.

PATERFAMILIAS, IOANNES, MARCVS, BENEDICTVS, IASPERVS, GOTFRIDVS, THYLMANNVS, *famuli domus.*

PAterfa. *Vt se habent uestri stomachi & uentres? súntne uacui?* Fam. *Crepitant instar uteris membranæ librorum, & nouarum solearum.* Marcus. *Ecastor ilia mihi crepant, fauces lippiunt fame, cruraferre me nolunt, brachia uix tollere possum, ita uiribus ieiunio sum exhaustus, instar lucernæ oleo exiccato.* Paterfam. *Aqua manus singuli abluite, Paschalibus & nouis cibis amissas corporis uires resarciemus.* Bene. *Impigrè nos accingemus patinis istis.* Par. Benedicite. Fam. Dominus. Pa. Hæc est dies quã fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Paschа nostrũ immolatus est CHRISTVS, itáque epulemur in azymis synceritatis & veritatis. Alleluia. Pater noster. *Ouum quisq; accipiat, deinde de perna & aliis carnibus.* Thy. *Esuries & fames mihi fuit uehemens.* Pat. *Eam mutes iã fauritate.* Iasp. *Laus superis quòd ad hunc diem superstites mansimus.* Gotf. *Gaudeo plurimum huiusmodi pisces in patinas reduisse.* Mar. *Hi pisces robur præbent maius, quàm esurialis cibus.* Bene. *Istud hodie experiar, an uires accipiam ualidiores.* Par. *Alterum edite ouum si lubet.* Mar. *Vnum adhuc edam.* Thy. *Pernam ego petam cultro, experiárq; ut sapiat.* Be. *Marce, quot oua*

una

una uice posses ingurgitare? Mar. *Octo sine opera & labore.* Io. *Dura, an mollia?* Mar. *Adhuc fluida, non indurata.* Io. *At cuius generis uel farinæ?* Mar. *Gallinis parta.* Io. *Aestimabam ea quæ ad sepes iam sole torrentur.* Mar. *Illa tuo uultui essent apta.* Thy. *Tu in ouis edendis octo aliorum munere posses fungi.* Iasp. *Edendo ipse pensum meum belle persoluere uellem, si certatim comederemus.* Pat. *Carnes iusculo elixas affer tu puer. Præbibo uobis hoc sacro Paschatis die.* Fa. *Conferat tibi bibenti.* Pat. *Inuicem uobis præbibite, lætósq; animos poculis uobis facite.* Got. *Ioannes amicitiæ & charitatis hausturo te adoriar.* Io. *Accipiam abs te lubenter.* Ben. *Hero nostro propino.* Pater. *Bibe feliciter. Puer, assas carnes prome, his saturi sumus.* Io. *Benedicte, uitrum hoc tibi medium propino, uerum tu bibe quantum uolueris.* Ben. *Auspicatò bibas, tum & ipse potabo.* Iasp. *Thylmanne, à prandio tuas ædes inuisemus omnes, uis nos ouis excipere?* Thy. *Ne Gry quidem largiar, tabernæ hospes non sum: si conuiuari uultis, diuersoria accedite.* Go. *Marcus nos medio agno, fruſtóque uitulinæ carnis exciperet, si suum domicilium adiremus.* Mar. *Ad Calendas Græcas.* Ben. *Nihil immune nobis dares his sacris feriis?* Mar. *Nil nisi sellas & scamna uobis impertiar.* Bene. *Istis tu stomachum ieiunum pascas.* Pater. *Cibo utimini ut tollatur, appetit hora concionem sacram audiendi, qui assa carne delectatur, Chrysippum non agat. Puer, bellaria sac adsint, & hæc tollantur.* Thy. *Marce, haustum Paschalem tibi propino.* Mar. *Quid paschalem? uini haustum malo, eo corculum meum iuuo.* Pat. *A cibo templa adite auditum sacram concionem, precésque uespertinas, & ad cœnam in tempore adsitis denuò, sacratissima*

tißimæ hodie ſunt feriæ. Got. *Nuſquam ibimus niſi fortaßis ad Marcum, deguſtatum de ouis ſuæ menſæ.* Mar. *Si ueneritis, ante fores uobis manendum erit.* Pater. De his nouis & Paſchalibus obſoniis benedicimus Domino. *Fam.* Deo gratias. *Pat.* Benedictus & glorioſus ſit Dei filius, q hodierna die à morte reſurgens, ab æterna nos liberauit morte. *Fam.* Amen.

Conuiuium Nundinarium, ſiue dedicationis Templi.

VILLICVS, VXOR, PISTOR, TEXTOR, CALCEARIVS *ex urbe ciues, &* SERVVS.

CVra uxor mea Elſa, ut ſacrificio Miſſæ peracto, pie per cæteráque obſonia ſat cocta ſint, fortè ex urbe nos amiculi nonnulli inuiſent. Vx. *Enitar pro uiribus, tu ſernum iube ſcopis uerrere pauimentum horrei uel cubiculi, in quo conuiuæ ſedebunt prandentes.* Vil. *Serue, cubiculum iſtud à pulueribus redde puriſſimum, parietibúſque adherentes aranearum telas depone, ne quid ſit, quod conuiuis nauſeam inferat.* Ser. *Curabo.* Villic. *Piperis habeas præcipuam curam, ne uel aduratur, néue inſipidum fiat, nam ipſum in primis nundinarum tempore palatis aduenarum placere ſolet.* Vxor. *Quæ culinæ ſunt munia, ſine te exequar belliſſimè, me coquere permitte, & tu cocta edas, ſatis adulta ſum, non egeo in coquendo te inſtructore.* Vil. *Hìc aduenium tres amiculi ex urbe.* Vxor. *Qui ſunt?* Vill. *Piſtor noſter ſocer, Calcearius affinis, & Textor cognatus nobis.* Vxor. *Veniunt inuicem?* Vill. *Etiam, & manibus conſertis ſe, ut amiciſſimi ducunt.* Vx. *Subitò nunc tu ſerue menſam ſterne, ſingulág, quibus opus erit, impone.* Ser. *In illo moram non faciam.* Vx. *Ipſa*

cum

cum obsoniis properabo ocyßimè. Pist. *Sis saluus ô Villice, quid geris?* Vil. *Salui sitis & vos, gratulor uestro aduentui.* Pist. *Vbi nundinæ sunt uel nundinarum gaudium, in templone, uel ad focum?* Vil. *Spero quòd utrobique.* Tex. *Præstat in coquina, quàm in templo nundinas esse, nam stomachis prodest magis.* Vil. *At plebeiarius noster maualt in æde sacra nundinas celebrari.* Cal. *Vnus ille homo est, cuius inexplebilis est loculus.* Vil. *Adsitis, limen transcendite, mox prandium instruetur.* Pist. *Vbi uxor latet?* Vil. *In culina ad focum, ad posticum, si opus est, mictum ite, iam piper percoctum erit.* Tex. *Vrina non premmitur. Salue Elsa, ut uales, tu solicita Martha es.* Vx. *Grati aduenistis, naleo bellißimè, sed sine pecunia: cubiculum intretis, iam obsonia mittam à foco.* Vil. *Ex aquali hoc manus mundate, tum mensæ aßidete:* loco Benedicite *quisque orationem apud se dicat, hic doctus non est.* Pist. *Cruce signemus, consecrabimúsque cibum nostrum, ubi eruditus defuerit.* Vil. *Piper hoc degustate, spero placebit.* Tex. *Sapidum est oppidò.* Cal. *Adueniat uxor tua.* Vil. *Illa, culinæ penso executo, aduenier.* Edite alacriter, *caro in pipere cocta, lepusculus est heri à me uenatus.* Pist. *Licet tibi per Nobiles uenari lepores?* Vil. *Nundinarum hoc tempore concedunt.* Cal. *O Elsa, coquere nosti dapsilicè.* Vxor. *Coquo more uillico & agresti, ut rustici edunt dapsilicè.* Pist. *Sat optimus est apparatus & delicatus.* Vil. *Bibite de hac uillana nostrâ ceruisia, in urbe pretiosiorem haberetis.* Tex. *Satis iucunda est sapore.* Vx. *Piper hoc lambite, tum intus denigrabimini.* Pi. *Multum ipsius edimus.* Vil. *Vxor tolle piper, & tostas affer carnes. Tu serue uinum cyathis infunde. Vinum hoc hic in nostro Oenopolio uenditur sedecim obo-*

lis

lis. Pist. *Vili ære uenit, dignum ut carius uendceretur.* Tex. *Præbibo tibi* Villice. Vil. *Profit tibi. Agninam carnem ad ueru paratam attingite, delicatiorem non habebitis. Omnibus præbibo, ut accepta sit uestra præsentia.* Cal. *Bibe Dei nomine.* Pist. *Audio uiricularium, choreas ludit, pergemus illic & nos.* Vxor. *Prius oremus.* Vil. Agimus gratias vero Christianorum Deo, ob omnia nobis præstita beneficia. *Pist.* Amen. Vil. *Nunc abite ductum choreæ.*

Conuiuium Campestre.

Campum uiridē animi recreandi gratia recedunt, HORATIVS *hospes,* HENRICVS, VOLFGANGVS, MAXEMILIANVS, *conuiuæ,* & MATRONAE *nonnullæ.*

QVam dulciter & iucundè nunc aura blanditur, undique locorum floridum est herbis & frondibus nascentibus. Henr. *Omnia nunc uirent, nunc formosissimus annus.* Volfgang. *Germinant nunc omnia, prata, agri, horti, & syluæ.* Maxem. *Auiculæ aërem nunc perstrepunt dulci cantu: è nidis, quibus hyeme tota delituerunt, erumpunt.* Horat. *Egrediuntur & nunc homines agminatim in campum uel pomœrium, cibo & potu in uiridibus locis se oblectantes.* Hen. *Exeamus & nos ad horas aliquot. quid usque insidemus fumosis & obscuris tectis? in apertum campum cum auibus repetemus.* Volf. *Rusticari nunc conueniret, si commeatum haberemus, quo nos, ut alij solent homines, exhilararemus.* Horat. *Ipse uobis impertiar pernam suillam & duas uini mensuras.* Maxem. *Tum deinde reliquum sumptum faciemus nos.* Henr. *Pari asse deponemus nos alij.* Volf. *Nymphas bellulas oportet & congredi, aliâs hilaritatis habebimus*

nihil

nihil. Hor. Vxorculæ nostræ & famulæ comites erunt nobis, quæ sub palliis cibatum ferent. Max. Non diu moremur, si quò ire uolumus, properemus antequàm uespera appetat. Hora. Audi tu Vxor mea: sportulam obsonatoriam para, ac reple perna hodie elixa, & uini aliquot prome mensuras, in pomœrium expatiatum ibimus. Vxor. Dicto citius expediam. Ho. Nos præcedemus, tu cum culinæ ministra sequere, ad portam nos inuenietis. Vxor. Sat est, uos pedetentim præcedite. Hor. Eamus, ponè subibit coniunx. Hen. Quàm delectabile est iam deambulare, & repere sub frondibus & in uiridi gramine! Vol. Est per Herculem. Maxe. At, quod pomœrium accedemus? Hen. Vbi minus hominum erit. Hora. Ibi conueniet, ne multos nostrorum gestuum habeamus spectatores. Volf. Possent & multi suspicari matronas, quæ aderunt, inhonestas esse, nobisq; amicas meretricias. Max. Videbimus ubi maior erit solitudo. Hen, Hîc in Oenopolio aliquid uini & nostro nomine emamus. Volf. Vbi lagena est in qua feremus? Max. Ad fidem dabunt, uinum qui uendunt, mox rediturum & relaturum te dicas. Volf. Quantum feram? Hen. Quatuor mensuras mercare, tum inter nos exoluemus. Volf. Vbi uos reperiam? Max. Ad portam te manebimus. Hen. En aliâs à longè subsequitur uxor mea famula comitante. Hen. Moremur eas, tum & uinum à nobis emptum afferetur. Hora. Sistemus gradus, perplacet mihi. Vxo. Vt ita præcurritis, uix potuimus assequi. Hora. Lento tamen gradu iuimus. Max. Adest & nostri æris uinum. Hora. In gramen nunc decumbamus. Vxor, deprome quod attulisti dapis, tu famula uinum cyathis infunde. Volf. Aegrè in

Oeno

Oenopolio lagenam mutuò dabant mihi, quia ipsis ignotus eram. Ho. Edamus nunc & poculis nos oblectemus. Ma. O quàm lepidum est & iucundum hoc in loco esse! Hos. Propino tibi uxor. Vx. Bibe bonis auibus. Hen. Prebibo tibi. Max. Sit commodo. Ho. Pernam degustate, tum bibere delectabit uos. Vol. Adhuc à prandij cibo saturi sumus. Hor. Edere si non libet, alacrius bibite. Ma. Sitienti propino. Hen. Ille ego ipse sum, tibi pari hausu respondebo. Vol. Puella illa & potu & cibo abstinet. Vxor. Puellarum non est bibere, sed summis labris data pocula lambere & pitissare. Hor. Hesperus instat, redeundum est domum. Max. Quando lubet, in nobis mora non erit. Hora. Exurgite, hinc abeamus. Hen. Celeres congrediemur.

Conuiuium Satyricum, sine inuectiuum.

IVVENALIS hospes, BARTOLDVS, GEORGIVS, ANTONIVS, MARTINVS, conuiuæ, & SERVVS.

SAlui sitis literarum cultores feruidi. Bar. Talis sis & tu Poeta eloquentissime. Iu. Quid inuicem negotij geritis. Geor. Equidem otium non negotium agimus. Iu. Nihil literarij tractatis? Bar. Commentamur mutuò nescio quæ. Iu. Non uos premit æstus, umbras petite aut tecta, non parùm incommodat rabies illa canicularis stellæ, quam nunc sol incolit. Anto. Domibus sat per hyemem morati sumus. Iu. Has meas ædes & tecta subite, potu uos excipiam. Mar. Sumptui isti parcas, non sitimus oppidò. Iu. Obsequimini, subitóque adsitis, nugabimur mutuò, ipse canus adolescentibus literis deditis delector, ut nihil suprá. Geor. Frontem perfricabimus, & tua subibimus tecta. Iuuena. Accedite

lite audientibus animis, meúmque non fugite senium, ipse & olim adolescens fui. Bar. Canos tuos non fugimus, sed formidamus ignoti & pueri, tibi in literis emerito militi conuiuere. Iu. Serue, i promptum ceruisiæ poculaliquot & uini. Ser. Celerrimè curabo. Iu. Potus æstus tempore in pretio est, magníque æstimatur, ubi calore arent labella. Ser. Hic potus prosit bibentibus. Iu. Adolescentibus uobis literarum cupidis præbibo. Con. Salutem precamur. ut potas? Iu. Quisq; uestrum labia potu madida faciat, deinde edite, nunc potus acceptior est cibo, sed utro plus delectamini, eo utimini. Con. Vtroque iuxtà gaudemus. Iu. Sitim postquàm sedaueritis, literarij aliquid nugabimur inuicem. Con. De literis loqui nostras ingeniorum excedit uires, ipsas primoribus labiis uix degustauimus. Iu. Intelligo non usque adeò ipsarum rudes uos esse, ut dissimulatis. Ge. Per Apollinem & Palladem expertes sumus ipsarum. Iu. Ideo me capulari sene nunc ut duce utimini, respondetéq; quæ quæram. Bar. Respondebimus ad nota, adignota obticebimus. Iu. Festis diebus quid Gentilibus olim erat negotij à meridie, sacris Deorum peractis? Ge. Per tenebras scio, & Andabatarum more, à præceptore quondam me audiuisse recordor, quòd in agris, in uiarum compitis conueniebant, ibidémq; mutuis uerbis in se per uices inuehebant in curribus stantes. Iu. Verè dicis, quisq; alteri sua, si quæ habuit, scelera obiecit & aperuit. An. Non ægrè ferebat qui conuitiabatur? Iu. Vitiatus rursus in suum conuitiatorem dicebat, ut canis morsu petitus remordere solet. Ge. Spectaculum, me Hercule, iucundum fuit uisu & auditu. Iu. Sic & uos adolescentuli exercere ingenia deberetis, ut unus

Digitized by Google

alium nunc laudaret, nunc uerò increpando læderet. Bar. *Amicitia mox tum rumperetur.* Iu. *Prædicendum esset, ut quisque alterius boni consuleret uerba.* Geor. *Quid si experimur, an unus alterum suis posset coloribus depingere?* Iu. *Istud efflagito sedulò, unus auspicium sumat.* Ge. *Cuculi progenici te esse credo, per Herculem, pusillus nanq; corpore es, sed uoce magna, & utrili, canis instar bouis, itaque miror quomodo in tam paruo corpusculo tuo, tanta uis spiritus resideat.* Bar. *Tu unus eorum qui manticam à tergo non uident, aliena non sua cernunt uitia, sic tu me pusillum corpore arguis, cum tu quolibet pygmæo minor sis, gressu tamen superbo, rubea tunica, tiara pretiosa incedens, alium & Herculem te putas, ac nuper Hannibalem te esse asserebas, cùm ne musculum effugare posses.* An. *En tu Martine ades? uocaris tu Martinus? ubi equus tuus, cui nuper insidebas? quis tu es? ambulas nunc pedibus? ab equo non ad asinum, sed terram transcendisti.* Mar. *Tu nasute, ridere sine, tu triũ terunciorum homo, tu pomilio, tu lerna malorum, tu morionum hospes, stultitiæque domicilium.* Iu. *Abundè ingenia ostendistis, nunc bibite, tum demum regredemini domum.* Mar. *Abibimus, tu gratiam habe.*

Conuiuium Laudatorium.

DEMOSTHENES *hospes,* GERARDVS, THEODORICVS, KILIANVS, VILHELMVS, *conuiuæ.*

Conuiuas uos uolo à meridie. Theo. *A meridie? cur non prandij hora?* De. *Lauta mihi non est culina, sed macra, plenáque aranearum telis, non pinguibus suum pernis.* Ge. *Per superos, bellus homo es, uocare uis conuiuas saturos, non famelicos, facillimum tum est sine impen*

Digitized by Google

impendio conuiuatorem esse. Dem. Conuiuium apparabo merendinarium, quod à meridie loco cibi merendinarij agitur inter homines. Kil. Ecquid nobis immune dabis? Dem. Satis ceruisiæ & edulij nonnihil, quo bibendi excitetur cupiditas. Vil. Ad quam uenietis horam? Dem. Circiter primam, neque diutius moramini. Theo. Aderimus in ipso sono primæ horæ. Dem. Rogo in tempore huc pedes ferte, agemus palæstram quandam literariam. Kil. Post sublatum prandium huc feremus pedes. Dem. Postremum occupabit scabies. Ger. Ratum sit quod loqueris, postremus qui uenerit, malo afficietur, domum iam pransuri ibimus. Dem. Discedite, propediem huc remigrate. Vil. Salue Demosthenes orator eloquentissime, hic aduenimus omnes, quid nunc nostra tibi conferet præsentia? Dem. In amœnissimo horto meo apud domum posticum situm, sub arboribus compotabimus, & unà nugabimur. Kil. In nobis mora non erit. Dem. Serue, ad hortum fer potum, ceruisiam scilicet pretiosiorem, & bolum unum aut alterũ carnis. Ser. Præstabo effectum. Dem. Me comitamini in horti amœnitatem. Ger. Paribus sequemur passibus. Dem. Hortulum hunc in deliciis meis habeo, estque unicum delectamẽtum meum. Vil. Est iucundissimus locus. Dem. Sub hanc arborem sedebimus quiescentes, & de hoc potu exigui ualoris sitim curabimus, præbibo cuilibet uestrùm calicem hunc. Kil. Salutem tibi ferat bibenti. Dem. Congarriemus postquàm quisq; calicem istum ebiberit. Ger. Bibamus nunc ordine omnes, quid iam tibi placet? Dem. Exercitiine aliquid in dies habetis, quo studium uestrum corroboretur, magísq; grandescat in uobis præfectus scientiæ? Vilh. Nil nisi epistolas scribimus. Demo. Exercitatio quædam est, qua nihil est

iuueni utilius. Gerar. *Quæ est illa?* Dem. *Quòd ætate sibi parem uel peritia puerum modò uituperet, modò laudet.* Kilian. *Eam artẽ uituperandi uel laudandi, ubi discemus?* Dem. *In Rhetorica, quam uestra indoles non sufficit capere, uel uti ipsa: sed alium laudare uel uituperare ingenij exercendi gratia, ante artem cognitam, etiam & laudis & honoris est.* Vilhel. *Laudaturus alium, auspicium unde sumat?* Demo. *A corpore, à genere uel progenie, à fortunæ dotibus, & scientia, probitate, uel moribus. Edite buccellas aliquot, & bibite: tum uicissim uos laudabitis.* Bar. *Ipse glaciem secabo. Bellus tu homo es Theodorice, candidis capillis, modesto uultu, gressu testudineo, facie alba, ingenio fœcundo, parentibúsque opulentis.* Th. *Te me fricantem refricabo: quod mihi das laudis, omne id tibi competit. Pulcher es adolescens, flaua coma, honesto aspectu, gradu egregio, Minerua fertili, & maioribus diuitibus prognatus.* Ant. *O Vilhelme, audi à me tui præconium. Parentibus percepi te ortum præclaris, scióque non sterili esse indole, statura non deformi, scientia non contemnenda, assiduúsque es librorum lector.* Vilhel. *Et tu albæ gallinæ es filius, neque infelici ingenio, corporis habitu decoro, ut nihil saprá.* Demo. *In laudando alium semper illud Plinij in mente habete: Hoc ipsum esse amantis, non nimium laudare.*

Conuiuium Declamatorium.

PAEDAGOGVS *hospes*, IOANNES, HERMANNVS, ALBERTVS, IACOBVS, *conuiuæ*, SERVVS.

PÆdagog. *Hodie dies est, quo à lectionibus feriari receptum est.* Ioan. *Nescimus, quid deinde?* Pæd. *Scitis*

Digitized by Google

Scitis etiam quid sit otiari à lectionibus gymnasij? uel quid sit agendum, dum à scholæ negotiis est libertas? Herm. *Tum ludendum est in campo, pila uel globo per anulum ferreum, uel cursu, uel palæstra dimicatoria, aut colluctando.* Pæd. *Scopum nondum tetigisti, toto aberras cœlo.* Ioan. *Eo modo tamen feriæ literariæ à nobis hactenus nostrisque maioribus dum literas didicerunt peractæ sunt.* Pædag. *Istud nihil aliud est, quàm uacatione à gymnasio abuti: à prandio huc me accedite, erudiam uos ad horulam unam, quid sit uacare à librorum lectionibus, & quomodo ferias scholasticas commodè collocare poteritis.* Alb. *Aduenientes prandij peracta fabula.* Pædag. *Hîc uos operiar, in tempore facite adsitis.* Ioan. *Certè reuertemur propediem.* Pæd. *Magnæ fidei adolescentes uos nunc uideo, quòd promissos aduentus re exequimini, assidete, nonnihil potus afferri faciam, quo linguas irrigemus, promptius ut loquamur.* Herm. *Nostri gratia ne absis impendium facias.* Pæd. *Serue, aliquid uini prome & affer.* Seruus. *Expediam quàm rectissimè.* Pædag. *Cupitis nunc audire quid sit otiari à lectionibus gymnasij?* Ioan. *Anhelamus cupidè.* Pæd. *Post haustum hunc factum eloquar. Hoc poculo uestros aduentus excipio.* Herm. *Gratiam habemus.* Pædag. *Bibat & quisque uestrum. Nunc quæ pollicitus sum præstabo. A scholà quotiescunque feriabimini, hoc exercitij habeatis.* Iac. *Quod genus?* Pæd. *Audita ruminetis, & breuiusculam orationem quandam concinnate, in rei uel personæ cuiuspiam laudem uel uituperium, quod declamitare olim nocitabant.* Iac. *Nescimus qua arte declamationes conficiemus.* Pæd. *Rudem & impolitam orationem connectite, quoad artem didiceritis. Vni-*

Digitized by Google

cam à me accipite declamationem in literarum laudem. Literæ, id est scientiæ, nobilissimæ sunt, neque unquàm satis laudatæ, neque laudari, ut dignæ sunt, à quoquam possunt, multum nanque boni & frugis afferunt: per ipsas posteritati gesta indicantur temporum peractorum: per ipsas uirtutes, felicitas, magistratus, honores, laudes dantur & accumulantur facilius quàm per opes: ipsæ semel adeptæ, nunquàm, neque in uita, neque post funera decorare aut ornare cessant habentem. Dixi. Ioan. Periculum & ipse faciam, commendaturus uirtutes. Pæd. Age, facito, ingenio utere tuo felicissimo. Ioan. Virtus res est ardua maximè, difficilisque acquisitu, tandem adepta, felicissimum reddit, omnia quibus egemus præstat, nam illi nihil deesse dixerunt scriptores, quem penes esset uirtus: uirtus omnia in se habet, uirtus ad sydera uehit, uitium ad ima tartara mittit. Dixi. Pæd. Bibite nunc omnes ordine, quisque calicem exiccet. Herm. In arenam & ego descendam, prudentiæ præconium dicturus. Prudentia uirtutum omnium nobilissima, in cognitione rerum consistit, qua cognitione nihil est homini honestius, scire laudabile, nescire uitiosissimum est: uir prudens, rerum peritus, uno minor est Ioue, inquit Poëta: ignorans à caudice differt nihil. Dixi. Pæd. Calicem quem meritus es bibe, cæteriſque præbibe. Alb. Palæstram ineam & ego liberalitatis encomium prolaturus. Liberalitas ea uirtus est, quæ humanum, pium, & benignum esse docet hominem, dátque ubi dandum est, seruat ubi tenendum est, sua non prodigere, neque tenax esse, ut Euclio Plautinus. Dixi. Pæd. Bibe poculum quod meritus es, & aliis propina. Sic uestra otia transigite, tum in eruditos euadetis uiros. Ioan. Curabimus, tu uale & gratiam habe.

Conu

Conuiuium Reconciliatorium.

HOSPES, ARNOLDVS, HENRICVS, *inimici inuicem.* IASPERVS, CRATO *reconciliatores.*

HOspes. *Vt sic rixamini inuicem canum more, nihil uos pudet?* Henricus. *Iste malorum lerna, suis semper uerbis me infectatur malis, nequeo ipsi obuium fieri, uel adesse, quin aliqua iniuria me prosequatur.* Arn. *Tu me tuis dictis semper laceras, rodisque ac ossa canicula, prædico tibi, ut mordere & deferre apud alios me cesses, aut clauum clauo trudam, quod senties cum magno tuo malo.* Hen. *Ah, tu pygmæo minor, quid narras? Ientaculi uice quod est esurienti, id tu mihi esses si ad pugnos uentum fuerit.* Arnoldus. *Sim pomilio quantumuis pusillus, tamen à te, ut inter similes asinus tractari nolo, neque pessundari.* Crato. *Huiusmodi sitlete uerba, istas lites componite, longè præstat pax & concordia, quàm simultas & discordia.* Henricus. *Tranquillus & quietus esse uellem, nihilque secum aut conuictus aut commercij habere, sed liber ab ipsa fieri nequeo, insequitur me passim ut umbra corpus, succulique scropham.* Arnol. *Tuo consortio gaudebo facillimè.* Hos. *Taceat uterque, scio quid faciemus, quo uos reconciliatos reddemus.* Hen. *Quid? exprime.* Hos. *Compotatiunculam ad ceruisiæ pocula agemus, tum inter potandum uestris animis discutiemus rancorem illum mutuum.* Henricus. *Lubet mihi: diuersorium istud ceruisiarum intremus, sequimini uos belli helluones poculorum.* Hospes. *Domi nostræ in umbra sedebimus tranquillius, securius & iucundius.* Cra. *Præstat suis interesse penatibus, quàm alienis.* Hen. *Potus feratur abundè, tum calculum & rationem impen-*

Digitized by Google

dij faciemus. Iaſ. Adſint & potiora pocula. Hoſ. Afferentur modó. Iaſpe. Proſpera ſit ceruiſia bibentibus. Hoſpes. Et tibi afferenti. Cra. Vos duo hactenus inuidioſi inuicem & mutuò poculum éxhaurite in felicem ueſtræ concordiæ euentum. Hen. Bibam, ubi ſiti laborauerò. Cra. Arnolde tibi propino. Ar. Commodè & fortunatè bibas. Iaſp. Vinum biberemus, id conuenit reconciliationi. Hen. Duæ menſuræ uini ferantur, alteram ipſe exoluam. Ar. Alterius ſumptum ipſe dabo. Hoſpes. I latum uinum, ego calices uitreos eluam. Iaſ. Hîc uinum affero, ſit felix fortunatúmque de ipſo potitantibus. Cra. Nunc animi prius mutua inuidia turgeſcentes immutabuntur. Hoſ. Heus tu Henrice, ut ita obſtipo ſedes capite? hanc uini pateram propino tibi integram. Hen. Accipiam lubens, poſtquàm ad fundum fuerit exhauſta. Hoſ. Vidén'? exorpſi. Hen. Video, & mihi nunc repleas ipſam. Hoſ. Faciam, en tibi, ipſam ſunditus imbibas. Hen. Iſtud leuiſſimum mihi factum erit. Iaſ. Arnolde ut ſiles? fac à te hauſtum propinatum accipiam. Arnoldus. Hoc poculum uini tibi præbibo. Iaſ. Faustum ſit tibi opto. Ar. Bibendo fac reſpondeas. Iaſ. Faciam actutum. Hoſ. Feruent adhuc animi ueſtri odio mutuo? Hen. Nequaquàm. Hoſ. Vtrique calicem uini præbibam, quo diſcordiam in concordiam mutetis. Hen. Fiet, tu bibe. Hoſ. Euacuaui, nunc partite inter uos, calicem illũ mediũ quiſq; epotet. Hen. Arnolde medium tibi propino. Ar. Sit felix fauſtúmq;. Hen. Medium bibi, nunc tu ad fundum epota. Ar. Faciam, uidén'? Cra. Conſertis manibus, nunc diſcordiam deuouete, concordéſque uos uicturos promittite, placet iſtud utrique? Hoſ. Arridet mihi. Ar. Et mihi diſplicet minimè.

Digitized by Google

minimè. Cra. Ista sancita est reconciliatio. Hen. Mirror quî fiat quòd ad uini calices homines in mutuam redire gratiam solent. Cra. Deus uini habetur Bacchus ipse, qui aliquando dicitur Lyæus, à lyo, id est, soluo, quia uinum tristitiam & inuidiam soluit.

Conuiuium Histrionum, siue Parasiticum.

NERO hospes, BVTTVBATA, GNATO, CVRCVLIO.

VNde proditis uos rudes, tremuli, pannosi, alacresq; animis histriones? But. E foro. Nero. Quid ibi quæstus estis adepti? But. Lucri prorsus nihil, homines nunc sapiunt Solones, tertiúmque Catonem præ se ferunt. Nero. Non plus uestris capiuntur gesticulationibus? Gna. Asserunt morionum se sat domi habere, seipsos utcunque histrionicè gestus exhibere. Nero. Vertuntur nunc omnia, ut quæ prius in deliciis sunt habita, nunc iaceant, & nihil ducantur. Cur. Timemus quòd esuriendo ad restim nobis res ueniet: quum uictum solitum denegabunt homines. Ne. Animos non despondete, ipse solus uos tres integri anni curriculo adhuc pascam, ab aliis destituti si fueritis. But. Gratierimus domino regi nostro unico præsidio. Nero. Estis famelici? libétne cibum ingurgitare? Gna. Per Herculem, pérq; omnes Deos patellarios esurimus acerbissimè. Ne. Pingue hîc sumen, pinguiáque exta edite, deuorate, igne & uino calidos uos facite. But. O nostrum præsidium & unicum asylum, tu ille nobis es Iupiter, id est, iuuans pater: ille nobis es Deus tutelaris, tutaris nos à sæua stomachi tyrannide, scilicet fame. Ne. Deus uester ero. adiutor & alumnus, si ea quæ interrogauero mihi respon

ſponderitis. Gna. *Ad uerba quæcunque uolueris, dicemus nobis comperta.* Ne. *Quis populi de me ſit ſermo, uerè audire delector: uerum mihi dicite, de me quæ ferantur uulgo ſententiæ?* But. *Paſſim ad aſtra referunt, pium benignum, æquum, prudentem, diuitem, potentem, omniúmque horarum hominem te eſſe dicunt, & qui poſſit æqua diſcernere lance, quid diſtent æra lupinis.* Nero. *O lepidi hiſtriones, ob id nuntium tritis uos donabo lacernis, calidóque ſumine.* Gna. *Quæ diximus, ex oraculo ſumus locuti, ita nos patellarij iuuent Dij noſtri.* Ner. *Vos ſemper iure feci plurimi, ueſtrum genus ſemper credidi mundo utiliſſimum, hominibúſque diuinitus datum eſſe.* But. *Non facile quis dixerit laudem & encomium noſtri albi. Nos hominum ſumus ſolamina, nos ſolatia, mœſtorum conſolatores, ueri aſſertores: ſine nobis, uino & mulieribus, hilares eſſe nequeunt mortales, imò uos etiam noſtris ſalis facetiis alacres facimus: natura nobis ſemper eſt læta, ſemper æquè ſerena, non nubila mens, ut cæteris hominibus mœrorem ſæpe aduehens.* Nero. *Sed agite, quem uos me facitis?* Gna. *Imò longè maiorem, nos te ad aſtra ferimus, te Deum facimus, & ſi quid eſt Deo maius: multus eſt nobis in ore Rex Nero, Rex liberaliſſimus.* Ne. *Verbis iſtis ſemper apud me commeatum, dapſiléſque lances, tritáſque lacernas in promptu reperietis ſemper.* But. *Gratia ſit domino Regi de præſentibus patinis, futura dum accipiemus, etiam pares gratias habebimus.* Nero. *At quales in plebeiorum penatibus uos geritis?* But. *In ædes admiſſi, culinas patináſque lautas petimus, illas exedimus, lingimus, lambimus, rodimus. Damnoſi ſumus patinis & culinis, nudamus homines argento, dapibus & eſca.* N. *Pocula non efflagitatis?* Gna.

Hirun

Hirundines fumus poculorum, bibere non desinimus, quoad guttula restat. Nos Vulcani fumus filij, quicquid tangimus, comburimus & consumimus. Ner. *Approbàtne uulgus album uestrum?* Curc. *Nobis calculum adiicit album, dicens oportere uersutum esse ac rota est figularis, nullúmque hominem esse frugi, quin bene & malè facere sciat ut nos.* Ner. *Nunquàm ad uerbera uobis res uenit?* Butt. *Creberrimè ulmeis pigmentis nobis pellis pungitur, uerùm ad pugnos induratam cutem habemus.* Ner. *Pelles uestras istis meis poculis iam farcite & patinis, tum minus ferire ipsum dolebit uobis.*

Conuiuium Nugatorium.

Salibus & nugis recensendis certant HOSPES, POETA, SOMNIATOR, *conuiuæ,* SERVVS, NVGO.

HOspes. *Bouem mactaui domi, ad intestina comedenda, rogo sitis mihi conuiuæ uos quinque.* Nugo. *Plures nostrûm sunt, gratiam habe in aliam uicem.* Hos. *Plus carnis & intestinorum mihi est, quàm uos deuorare poteritis.* Poeta. *Attamen incommodum est tantus conuiuarum cœtus.* Hosp. *Minimè gentium, rancida mihi fient boum intestina sine conuiuis, solus sum cum solo famulo, omnia nequimus deuorare, nam uultures non sumus.* Somn. *Tum fac pateant ædes, intrabimus tecum uisuri, quò nos excipere uelis.* Hosp. *Felicibus auibus limen transcendite. Gratulor uobis felices aduentus in domicilio meo.* Nugo. *Felix sit & tibi accommoda hæc habitatio.* Hosp. *Serue, promptuarium reseca, carnésque tostas deprome, ceruisiam præbe & calices quæq; conuiuio apta conueniunt, ministra.* Ser. *Claues promptuarij*

ptuarij præbe, occlusum est. Hosp. Velox redi. Nugo. Festinare tantopere haud opus est, expectabimus facillimè, fame non premimur. Hosp. Quid tum? aliquem tamen in stomacho habebitis locum bolis aliquot. Tu serue, unum aut alterum intestinorum uentu ad primas torreas. Ser. Exequar. Hos. Vos interim de his carnibus sumite. Nug. Fiet. Hos. Ipse exemplo uobis ero prius in quadram buccellam decerpendo. Poe. Age, tum frenestram edendi ex nobis aperies, ut hospitis est munus. Hos. Vinum hoc pitissate, palatis sapiet. Somn. Propino tibi. Hosp. Bibas prospere. Somn. Certè nobile est, & cum quolibet alio sapore certaret. Hosp. Tale est, ut ad egenorum mensam bibitur. Som. Et acre & suaue est. Hosp. Exta illa calida, dum feruent edite, frigida insipida fiunt. Poe. Ipsis non parcè utemur. Hosp. Vt ita silentes & taciti estis? quid in corde uoluitis? an curam prolium educandarum? Nugo. Non, istarum solicitudinem matribus & uxoribus relinquimus. Hosp. Sumite animos hilares, bibendo. quis nobis scomma aliquod recensebit, quo ridebimus? tu istud facito. Nugo uocaris, fac & nugeris nobis nonnihil. Nug. Scommatum uel facetiarum expers sum, attamen quod scio dicam. Mulieres uetulæ in templo orantes, clunibus attrahunt pedes, scitis qua gratia? Hosp. Ignoramus, tu dicito. Nugo. Ideò, ut si quid per posticum uenti emiserint, non perdant sine fruge, sed ipso pedes calefaciant, ut Plautinus ille Euclio nocte follem ori adstringebat, in quem anhelitum mitteret, & mane ignem cum ipso excitaret. Somn. Audite & me: Somnium hac nocte habui, multum me inuenisse auri & argenti, lepidæque nymphæ adiacere me amplexanti, at expergiscens sensi felem mihi adesse

esse lingens maxillas meas, nam madebant ex hesterna crapula. Hos. *Tu poëta poëticas facetias nobis narra, tum omne impendium huius conuiuij immune habebitis.* Poe. *Aures arrigite, uersus audietis lepidos in hora poëtica natos, undecum scilicet hos.*

Dum uina bibo, tristari non bene quibo.
In haustu primo, lætor sub pectoris imo.
In cordis fundo, lætor dum bibo secundo.
Post ternum potum, uinum mox fit mihi notum.
Et potus quartus lætum reddit atq; facetum.
Et potus quintus, lætam mentem facit intus.
Dum bibo bis ter, sum qualibet arte magister.
Potu septeno, frons efficitur sine freno.
Potus bis quartus, mihi sensus tollit & artus.
Sed si plus bibam, Rannen, pot, omnia frangam.
Vt corpus redimam, rock, hemmet, omnia uendam.

Hos. *Ridiculi per Herculem sunt, & poculis apti uersus.* Poe. *Ipsos boni consulite, qualis sum poëta, tales & dico uersus.* Hos. *Immunes uos omnes iam hîc à symbolo feciſtis.* Poe. *Gratiam referemus olim.*

Cõuiuium Tabernarium, ubi certo asse & numis præsentibus conuiuatur & soluitur.

TABERNARIVS, IASPERVS, HENRICVS, MAXEMILIANVS, VOLFGANGVS, ARNOLDVS *uiatores.*

IAsperus. *Ho, ho, nemón' huc prodit? uacant hæ ædes?* Tab. *Quis fores pulsat, clamandóque domum personat?* Iasp. *Salue hospes Tabernarie.* Taber. *Et tu* Iasp. *Ecquid lauti habes opsonij? dapsilicéne instruxisti focum? nostrûm hîc sex peregrè profecti adsunt, ex itinere*

Digitized by Google

itinere fessi, & esurientes, cibique & potus cupidissimi. Tab. *Satis reconditum cibi habeo, si uobis æs exoluendi suppetit.* Hen. *Bonorum datum habemus, pecuniásque Crœsi, & Crassi æquamus opulentia.* Tab. *Isti assidete mensæ, fercula iam afferri faciam, quiescite interim.* Max. *Faciemus, ac tu festina, acerrima nobis fames est, qualem ab incunabulis habuimus nunquám.* Tab. *Morbo isti medebor pulcherrimè: de ista perna uoragines uentris fácite, mox lautiores patinas afferam, sed cibum consecrate prius.* Volfg. *Benedicite.* Hen. *Dominus.* Volfg. *Christus Dei filius, salutis humanæ autor & conseruator, tabernarium hoc prandium nobis benedictum reddat.* Hen. *Amen.* Volfg. *Nunc edamus, ipse morari nequeo.* Iasp. *Ede, non morabimur, quin & nos cibum sumimus.* Arn. *Dura est & admodum salsa caro ista.* Maxe. *Potu salsedinem pelle.* Arn. *Cantharum medium ebibam.* Volfg. *Tum ad fundum ipse exiccabo.* Ger. *Heus, heus, hospes, ceruisiæ plus prome, hæc epota est.* Taber. *Abundè ceruisiam afferam, placétne & uinum?* Maxem. *Vtique quanto pretiosius fuerit, tanto ipso plus delectabimur.* Tab. *Hic uinum affero nectareum, nectari cœlestium Deorum ne latum unguem cedens, eo hilares uos reddite.* Iasp. *Facienus: alia obsonia præbe, ossi si quid habes, elixis non oblectamur.* Tab. *Sunt mihi capi duo illaridati, & anser in ueru, adhuc calidi, de ipsis quid afferam? dicite, utrum anserem, an capis palata plus gaudeant uestra.* Iasp. *Anserem feras, capos tibi serues.* Tab. *Accipite eum pinguem, & adipe multa, adsi tener uitulus esset.* Hen. *Ho, ho, sodales optimi, lassitudinem itinere longo adeptam nunc curate, incidimus in cœlum.* Maxe. *Præbibo tibi, guttur mihi*

const

Digitized by Google

constringit anserina ista caro. Iaſ. *Ex postico anseris edas.* Vol. *Oleto ipsius iam capior magis, quàm si uiueret.* Ta. *O uos conuiuæ, ut nunc stomachis ualetis, est ne factum melius?* Ma. *Longè præstantius inteſtina. nunc uigent, quàm dum aduenieb amus.* Iaſ. *Hoſpes propino tibi.* Ta. *Proſit, bibere nondum cupio, impransus sum. Bibite uos baſilicè, ipse impendiorum immemor non ero.* Geor. *Et nos tuorum obſoniorum non obliuiſcemur.* Ta. *Iſtud decet ad menſam, hîc caſeum accipite, qui aduenarum huc ſolet eſſe terror.* Maxe. *Nos perterreſcet minimè, ſat æris habemus, unde ſymbolum pendamus.* Ta. *Edite de ipſo uel butyro quantum lubet.* Iaſ. *Tolle menſam hoſpes, ſat edimus, hinc abeundum eſt.* Ta. *Non abeundum, ſed ſoluendum, quiſque ueſtrum tribus albis ſymbolum ſoluet.* Vol. *Hui, tantum? uix cibus ualuit tantum.* Ta. *Vini bibiſtis multum.* Ma. *O uos ſodales optimi, hinc quomodo euademus, quo pendemus ſymbolum?* Iaſ. *Hoſpes, æs in numerato non habemus, noſtra chirographa tibi dabimus, mox exoluturi, & è patria æs miſſuri.* Ta. *Chirographa non accipio, nam literarum expers ſum, ſed uel pecuniam uel exuuias.* Hen. *Nunc uerſuum quorundam recordor: Eſt bona uox, hol, vvein, melior ſchenk ein, aptima trinck auß. Eſt mala uox, rechen, peior bezalem, peßima den rock auß.* Ta. *Sit peßimum uel optimum, aut ſoluite, aut ueſtes exuite.* Iaſ. *Accipe has ueſtes, ad ueſperam, uel ſummum cras repignerabimus & redimemus.*

Conuiuium Natale.

MACRINVS *natalem diem celebrans,* PERSIVS, CASTOR, POLLVX, COQVVS, *conuiuæ,* SERVVS.

MAC.

Digitized by Google

MAcrinus. Io, io, ô festiuissimum diem, ô candidissimum solem hodiernum, feliciorem integer annus habet nullum. Persius. Vnde tantum hodierni diei encomium profers? Macrinus. Ignorabas hodie mihi esse diem natalem? Persius. Per Herculem non cogitabam, non tum natalitio tuo die nos tuos amicos epulis & mensa excipis? Macrinus. Vtique adsitis meo prandio omnes quatuor, meum diem genialem mecum celebretis. Castor. At quantum impendij faciet quisque? Macri. Sumptus nihil impendetis, ipse feram omnia mea crumena. Pollux. Age, perplacet, condicimus, non opus est nobis scindere penulam. Castor. Vbi conuiuæ uocamur, summus facillimi: ubi ad erogandam pecuniam, surdi, & auribus mortui. Macrinus. At natalitiis muneribus me ut donetis oportet. Persius. Ipsa mittemus lubentissimè. Macrinus. Coque, suntne edulia percocta? Coquus. Quando lubet accubitum ite. Macri. Serue, éstne mensa decorata, quibus solet ornari? Ser. Est, & diutissimè. Ma. Lauetis mei conuiuæ, & discumbite. Cas. Prior discumbere tuum est ut hospitis. Mac. Benedicite. Per. Dominus. Macri. Cunctipotens Deus, cœli & terræ Dominus, bonorum omnium autor, creator, saluator humanæ creaturæ, hoc natali conuiuio cibum & potum nobis pransuris salubria facere uelit. Persius. Amen. Mac. Nunc epulis negotium sumite & poculis. Pollux. Otium non agemus. Macrinus. Salsuginosam illam carnem uel porcinam gustate. Castor. Fiet. Macrinus. Serue, ad cyathos sta, uidéque ne siccitate hient. Ser. Curabo. Mac. Iurulentas fer carnes, his siccis non est delicium magnum, quadras alias porrige. Ser. Exequi uolo. Ma. Carnibus istis iurulentis fruimini, quoad assæ afferentur.

Per

Digitized by Google

Per. Facile est contentum esse patina tali, poculisque lepidis. Mac. Genio indulgete, Epicuríque uiuite. Per. Propino tibi in felix auspicium sequentis anni. Mac. Hodie alium auspicor annum meæ ætatis. Per. Tibi nunc est exordium anni, ut omnibus mortalibus ipso Circumcisionis die. Macri. Assæ carnes fac adsint famule. Seruus. Efficiam celerrimè. Macri. Orbes tolle, aliósq; propone. Castor. Omen felix tibi hoc poculo opto, ô Macrine. Macrinus. Et tibi ipsum non sit infelix. Pollux. Age, bibendo mihi par referas. Macri. Non differam: omnibus uobis ad has tostas carnes præbibo, in gratiam, quòd hoc natali meo die me inuisistis. Castor. Lubentes fecimus, maiora uelimus, si inseruire tibi poterimus. Macri. Decerpite assum, ipsum propositum est ut edatur, non ut rursus in culinam deferatur. Pollux. Strenuè nostrum agimus munus. Per. O Macrine, hilarem nunc sumas diem, genio affatim indulge, Deóque gratias habe, qui hoc die uitæ munere te fungi fecit & concessit. Macri. Istud hodie feci, facio, & quoad hic dies durauerit, faciam. Castor. Macrine, scísne cur munera mittantur ab amicis illi cuius est dies natalis? Macri. Puto quòd signum sit amicitiæ, eo munere gaudeant natum esse in mundum, eum cui mittant. Cas. Vt die Circumcisionis donantur xenia, ob noui auspicium anni, ita ipso die natali nato homini. Mac.. Verisimile est. Cas. Sic res est. Mac. Serue, bellaria appone, & cyathos aspice an sitiant. Per. Nunquàm uidi calices sitire. Mac. Intelligenti pauca satis faciunt, cæco hoc ora exiccate, butyróque animos si mœrent lenite. Pol. Macrine præbibo, optóq; felix sit tibi dies natalis, posteráque ætas. Mac. Commodè bibas. Cas. Fac deponi dapes, expatiabimur

Digitized by Google

aliquantulum. Mac. *Serue mensam tolle.* Cas. *Legamus hymnum.* Mac. Deus misericors & iustus, qui in hanc lucem nos creauit, creatósq; pascit sua gratia, benedictus sit in æternũ & vltrà. Per. Amen. Macri. *Boni consulite habita obsonia.* Per. *Tu pro liberalitate ista gratiam habe.*

Conuiuium delicatorum palatorum.

COLONIENSIS, VESTVALVS, THVRINGVS, SAXO, SVEVVS, HESSVS, FRANCO, PHRYSIVS, OBSONATOR.

HEus, *heus contubernales optimi, quid agemus? tempore hoc licentioso, conuiuabimúrne inuicem? uiuemus semper Stoicos? nunquàm cum Horatio spargemus nuces? patiemúrque uel inconsulti haberi?* Vest. *Iucundum esset conuiuari, si opulentæ nobis essent crumenæ.* Colo. *Ego omnium nostrorum nomine numos exponam & sumptum, si post factum calculum quisq; sua parte mihi reddere promisit.* Vest. *Pollicemur ad sacramentum.* Colo. *Audin' tu Obsonator, in conuiuium delicatum obsonia mercatum uade, sed cura ut lautissima quæque emas.* Obso. *Aeris satis si habuero, obsonando accinctissimus ero.* Colon. *Accipe aureum istum, & quantum opus fuerit, obsoniis splendidis impende.* Obson. *Pollucibiliter obsonabo.* Vestua. *Redeas pegaseo gradu, & uorans uiam.* Colo. *Obsonatum missi, qui mercabitur nobis edulia ampliter.* Thur. *Aderit etiam mox?* Colo. *Apud propôlas cibum coctum emet, tum coquendi labore non egemus.* Saxo. *At quid obsonij afferet?* Colon. *Iussi ut delicatissima quæque quæreret & mercaretur.* Suc. *Cuius palato forte tuo obsonabit.* Colo. *Quicquid culina*

Digitized by Google

culinaria taberna habuerit opipari & cocti, istud nobis comparet. Hes. Aduenientne oppidò? Colo. Dicto citius aderit, nos interim mensam sternemus. Fran. En aliâs redit Obsonator, sub pallio ferens nescio quid. Col. Saluus aduenisti Obsonator noster, quid splendidi mercatus es nobis? Obso. Admodum calida, nescio an pinguia. Hes. Proh, carnes affert suillas & uitulinas, quis illis delectatur? porcina est immunda lepram gignens, uitulina insaluberrima, febrem pariens, morbumque & moros gestire facit. Obso. Mercatus sum quæ potui consequi, delectus mihi non erat, aliâs hæc non attulissem. Col. Edamus hæc, dum desunt splendidiora. Fran. Verè dicis, boni consulenda sunt uilia, ubi pretiosis laboratur. Hes. Edat igitur quisque esuriens, fames ipsi condimentum dabit, quo sapientiam dulcissimè. Obso. Aut manus admouete, aut solus exedam. Sue. Quod mercatus es ede, nos esurire malumus. Obs. Nunc in portu nauigabo, rèsque mea in uado erit, cùm solus hæc deuorare debeo. Thur. Nihil aliud tibi erat apud propôlas? Obs. Ne My quidem. Col. Bibamus copiosius, & quo in cibo egemus, in potu recompensemus. Mox domuus ibo quæsitum piperis aliquid zinzibere conditi. Ves. Ipse si in patria essem, haberem quo latrantem stomachum replerem. Hes. Quid? Ves. Patinam fabarum, deinde lentium, deinde pisorum, tum lactis, tum pultis, tum olerum, tum raparum. Hæc fercula quibus desunt, potiuntur crassissima carne porcina. Thur. In laribus meis paternis dulce iusculum de halece ederem: tabernam potoriam accedens, in sinum sumerem halec salsugine erutum, de quo lamberem inter potandum, ut sitim acciperem. Fran. O nobilem meam Franconiam, in qua uini suauis bibun-

tur calices: ibidem si essem, uiuerem indulgentius. Sax. In Saxonia mea & nobilis ac satis crassa cerusia potatur. Hes. Hessia mea caprinis carnibus abundantissima est, in ipsáque obsonia pinguia & multo iusculo eduntur. Sue. Sueui mei uino & nucũ copia superbiunt. Phry. Phrysij nostri butyro fertilibúsque caseis nobiles sunt & laudabiles. Fran. Quid tu Colonienſis ais? in quo tuam Coloniam effers? Col. Opus non est præconio, satis seipsam commendat. Fran. Dapes opiparæ uobis Colonienſibus nullæ sunt aliæ, quàm piper rugosum. Col. Ah, nos inopes Germaniæ orientalis uel superioris, uos aquæ bibuli. Fran. Si nostrates aquam non biberent, diu Rhenus uos Occidentales Germanos submersisset. Ob. Quisq; suam repetet domum, nequeo uestris palatis arridentia obsonare, nam nimium dissident.

Conuiuium Helluonum poculis sese vrgentium.

HERMANVS, ARNOLDVS *fratres*, IASPERVS, & GEORGIVS.

HErmanus. Sitio affatim, quid consilij præbes mi frater? Arnold. Remedium non est aliud magis præsentaneum siti, quàm epotatio crebra poculorum. Herm. Pocula quid iuuant uacua? Arnold. Pocula puto non inania, sed potu referta: uacua uasa, pocula non merentur dici. Herm. Quî hoc? Arnold. Pocula (ni fallor) dicuntur calices, quasi potum continentes uel continentia. Herman. Potatum quò nos conferemus? Arnol. In eas ædes ubi conuenire soliti sumus. Herm. Iniucundum est duobus solis compotare, si quos haberemus congerrones siue compotores. Arnol. Fortè in ipso domi

domicilio ceruisiario quosdam inuenienus nostri consortij. Herm. Accedamus Iasperum ueterem nostrum commilitonem. Arn. Perplacet, confestim eamus. Her. Heus, heus Iaspere, esne domi? Iasp. Non sum. Her. Nónne te loquentem audimus? Iasp. Non Iasperum, sed fortè Theologum auditis. Herm. Ecce obliti per Herculem fuimus istius tui cognominis. quid agis? latitas semper & assides Theologicis tuis libris? Iasp. In Grammaticis regulis sudaui & legi. Quid uenistis? quid expetitis? Herm. Venimus curatum cuticulam tecum ad pocula. Iasp. Hæc domus ad algidam dicitur culinam, nihil cibi, neque potus, neque ignis est. Herm. Adest cantharus quo potus feratur? Iasp. Fidelia habemus, non stanneum cantharum. Arn. Dulcior est potus ex fictili poculo, quàm stanneo. Her. Istud est quod dixit Agathocles rex filius figuli, qui rex maluit ex fictilibus uasis quàm aureis bibere. Iasp. Huc è regione in taberna coquinaria ceruisiam feram, interim expectetis. Her. At redi uelox, sitimus fortiter & acerbissimè. Iasp. Huc redeo, felix sit ceruisia bibentibus. Arn. Et tibi afferenti non infelix. Iasp. Hoc poculo ebibēdo aut totum, aut medium combibebimus. Her. Arridet, sit ratum quod loqueris. Iasp. Hermane, præbibo tibi integrum poculum. Her. Esto, accipio libenter. Arn. En Georgi unde tu proripis? Geor. E laribus meis uisum uenio quid hic geratur. Herm. Hic potatur, genióq; indulgetur. Geor. Istud uideo. Iasp. Assideas, sisq; nobis compotor. Geor. Acre careo. Her. Præditum habemus conuiuij principem, Iasperum nostrum tertium Catonem, & octauum sapientem. Iasp. Nasum uestrum nosco, nasuti estis, præter hoc nihil. Arn. Hui, bibite plenis poculis commilitones optimi, exemplum

Digitized by Google

uobis dabo, calcárque addam calicem hunc ingurgitando. Iasp. Ho, ho, instar uaccæ bibis. Arn. Vsqueadeò saputi, desinere & cessare non potui. Herm. Georgi, tibi propino. Geor. Accipio lubens. Herm. Vt desidetis tam siccis palatis? calices osculamini, ipsisq; linguas madefacite. Arn. Non feriabimur. Herm. Ceruisiæ plus feras, hæc epotu est. Iasp. Asses tres porrigite. Arn. Ad calculum feras, in digressu soluemus. Iasp. Sin minus feceritis, uestibus uos nudabo. Herm. Nunc eas ocyus. Iasp. Felix faustáque sit, quam fero, ceruisia bibenti & soluere uolenti. Arn. Quid? non esset salubris satisfacere recusanti? Iasp. Iste non bibat. Arn. Nunc tanto cupidius bibemus. Hui, bibite plenis bucciis sodales optimi? bibite ad iugulum usque. Geor. Quid illud conferret? Arn. Multum sanè, quantum quis plus potu madet, tanto peritior est, iucundior & hilarior. Iasp. Hermane, hoc te saluto calice. Her. Non obsit, ebibe, aut non suscipiam à te. Arn. Abeundi tempus est, uespera imminet. Iasp. Exoluite prius impendium. Her. Ad Græcorum Calendas. Iasp. Memor ero, ubi locus fuerit.

Conuiuium commilitonum literatorum asses suos congerentium.

HENRICVS, IACOBVS, ARNOLDVS, PETRVS, CORNELIVS.

A Meridie quid operis faciemus? Iacob. Inscius sum. Hen. Si me audire uelitis, scirem quid facere conferret. Iac. Exprime: audiemus. Hen. Vt asse cuiuslibet appositio conuiuiolum instauraremus, diu non compotauimus. Arn. Facilè dictu est, se difficile factu. Hen. Qui hoc? Arn. Aere laboramus. Petr. Neque cingulum,

Digitized by Google

lum, neque marſupium, neque aßis minimus mihi eſt. Cor. Et mihi aßis non eſt, quo reſtim emerem. Hen. Conſilium dabo, ut nonnihil æris acquiratis: Parentibus uel cognatis dicite libellum aliquem albo numo uos empturos, & illum deinde potatiunculæ inſumemus, quiſque non niſi unius albi numi (ut uulgò dicitur) ſumptum faciet. Iac. Optimum conſilium & acceptandum. Hen. Quiſque ilico domum eat, & tantum æris à parentibus uel amicis petat. Iac. Curabimus. Henr. At præpeti gradu redite. Pet. Ibimus uiam uorantes. Arnol. Redeo & uoti compos factus, pecuniam affero. Iac. Præſto & ego ſum, à matre hoc numo donatus. Petrus. Venio & ipſe quoque, licet ſerus, quia diu pater nolebat annuere & marſupium laxare. Henr. Vbi tu tam ſerus moratus es? quid te detinuit? Corn. Dura ceruix meæ nutricis, quæ decies aſſem in manu uertit & reuertit, antequàm exponit. Henr. Renuebat tibi tantillum numorum? Corn. Aegrè extorſi, & fermè lachrymantibus oculis. Henr. Velociſſimi nunc potatum eamus, uiamuſque ceruiſiarij potatores, dum nequimus Bacchanalia. Iac. Quò concedemus? Henri. Ad ædes meas, ubi ſolitudine fruemur, potabimus, & io, io, io, cantabimus, nemine percipiente. Intretis pulcherrimi combibones & commilitones literarij. Arnol. Aequum eſt, ut qui totis diebus ſudantes & laborioſi conſedimus in gymnaſio literario, animis triſtibus, trementibus corporibus, ob præceptoris ſæuitiam & ferulæ metum, ſic & nos ad pocula exhilaremus aliquando. Petrus. Decet, ut qui miſeriarum fuerunt, etiam lætitiæ ſint participes. Henricus. Quiſque ueſtrûm numos mihi det, ego princeps conuiuij ero. Cornelius.

Digitized by Google

Muneris istud habeas, sed fideliter exequere, non aliquid pecuniæ recondas in loculum. Henr. *Potum & triticeũ panem mercabor, quoad teruncium habuero, ibo iam latum ceruisiam.* Iac. *Vade, & celer redi.* Hen. *Tardus non ibo, en redeo, potus hic cerere coctus salui sit omnibus bibentibus ipsum, sed præbibere est meum, tibi propino Arnolde.* Ar. *Accipio libenti animo.* Pet. *Iacobe, libétne bibere?* Iac. *Liberet, si haberem.* Pet. *Hunc calicem tibi præbibam medium.* Iac. *Id facito, cupio.* Pet. *Bibe nunc & tu.* Iac. *Aliquid panis tritícei da, edere oportet me, dum bibo.* Ar. *Et edendo bibere necesse est, si cibum decoquere & ingerere debeo.* Henr. *Cuius est bibere? im quo fistit amphora? potitet, quo & nos alij potu fruamur.* Ar. *Vide ne deficiat ceruisia, aliôqui pugnos edes, aut uersus caput tibi cantharum mittemus.* Henr. *Non cupio istam fortunam & commoditatem, satis supérque adhuc restat, uos saltem inuicem præbibite.* Iac. *Corneli, tu sitim potu non comprimis? propino tibi huius calicis medium.* Corn. *Salutiferum sit tibi.* Pet. *Hoc ebibam, tum non sine fruge sumptum feci.* Henri. *Pecuniæ suæ quem pœnitet, potu se consoletur.* Iac. *Ipse ad summum iugulum me implebo, cogitabóque nimos, quos è domo paterna attuli, stomacho & uentri me immisisse.* Ar. *Non falsus erit cogitatus: nam bibuli domum in uentre referunt quod mane extulerunt ædibus in crumena.* Corn. *At abeamus hinc, tempestiuum est.* Iac. *Fiet.*

Conuiuium lucri lusorij.

ALBERTVS, CHRISTIANVS, VESSELVS, MATTHIAS, DIONYSIVS, STAPHYLA *mulier.*

Atten

Digitized by Google

ATtendite, attendite sodales & collusores charissimi, uestes induite, in tempore hinc ut discedamus, moramur etiam adhuc horulam in potatoria domo. Chri. Ageremus compotatiunculam? repetenda mihi est domus paterna, aliô qui si serus uenero, pugnos edam. Alb. Non annum peragemus bibendo, pedibus insistendo lucrum ludi consumemus. Ves. Quantum æris dedit victoria? Alb. Albos numos tres. Matt. Nullos nigros numos? Alb. Nugas agere incipis. Dion. Eamus, non diu sistemus pedes, in proximum hîc ad portam, ubi baculus stramine obsitus, extensus est. Matt. Ibidem uenit ceruisia pretio suo respondens. Chri. Es notus mulieri uendenti? Mat. Sum, comitamini, ego præcedam. Alb. I præ, nos in pedes sequemur. Heus, heus, nemón' huc prodit? Staphyla ubi lates? Promes nobis ceruisiæ mensuram? Staph. Lubentissimè, subite tectum, non foris ac mendici pedes figite, & stetis, accipite & bibite prosperè. Matt. Tu prius bibas ut dignum est. Staph. Faciam, ne incantasse me potum suspicemini. Matt. Minimè istud timemus. Sta. Ite accubitum mensam, quid pedibus insistendo bibere tis? Albertus. Aequè stantes ac sedentes tempus prodigitis, libet è poculo bibere? Chri. Placet, porrige fictile aliquod. Staph. Nunc infundite. Ves. Aegrè effunditur, ubi nullus restat potus. Staph. Detis, plus promam. Matt. Duas nunc porrexisti mensuras? Staph. Verum est, cupitis buccellam panis, quo bibere uos delectet. Alb. Non, non, ad parentes eundum & properandum nobis est, ibi cœnitabimus. Staphyla. Si placuerit, sponte impertiar uobis. Christianus. Iuxtà gratiam habeo, acsi dedisses. Ves. Properè abeamus, moramur nimium. Matth. Staphyla, denuò i eductum potum,

deinde discedemus. Dio. Conueniet tertia mensura consumpta calculum facere, nam omne trinum perfectum est. Sta. Hæc tertia sit uobis salutifera. Alb. Præbibas mihi, dulcior est potus post hauſtum à muliere è cătharo factum. Sta. Leporis in me cadaueroſa muliere nihil est: ſi triginta annis iunior essem. Dio. Nondum usqueadeò annis confecta es, adhuc butyrum (ut uulgò prouerbium est) tuis in labiis liquefieret. Sta. Minimè per Pollucem, ego ex senio edentula facta sum, conuenio ad libidinis prurientis titillationem expellendam. Alb. Tu totum diem transigeres nugamentis, bibe, ut hinc soluamus anchoram. Matt. Propino tibi. Alb. Felicitatem bibas. Dio. Cæteris propines, ipse exoluam potum. Audín' Staphylatres cantharos ceruisiæ habuimus, nónne? Sta. Verum est. Matt. Numos tene, nos discessum faciemus. Sta. Ite bonis auibus. Alb. Sit tibi nox felix & fausta. Sta. Vobis quoq; sit fortunata & secunda: quãdocunq; fores præteribitis meas, huc potatum concedite, si præsentes non habueritis numos, ad fidem ceruisiam dabo. Mat. Faciemus. Ch. Quàm callida in suum quæstum est anus illa, reuocare nos & allicere conatur, quo sæpe potui insumamus numos apud se. Ves. Superstites semitres albos in quid conferemus? Alb. In compotatiunculam proximi nostri congressus. Mat. Aedes suas quisq; adeat, hinc digrediendum est nobis, prospe-ram precor uobis noctem. Dio. Et nos tibi quoq;.

Conuiuium vltimi digressus, dum discessus monumentum compotatur.

CRATO, NICOLAVS, FRIDERICVS, LAVRENTIVS discessuri, PATER, PVER.

CRato. In cœnam uos tres uolo conuiuas, si integrum, uobisque cordi fuerit. Nic. Vnde tanta tibi libe-

liberalitas, quòd conuiuas nos uocas: cùm soleas esse Plautino Euclione tenacior? Cra. Cum ipso tenacitatem commutaui liberalitate. Nico. Quî tam subitó? Cra. Cras hinc abibo exulatum peregré. Nic. Fortè in literarum emporium proficiscéris? Cra. Istud faciam. Lau. Tum monumento digressus nos donabis ad hodiernam cœnam. Crat. Sic fiet, uos adsitis, exporrigemus frontem geniáliter. Nic. Aduenimus, at qua horâ? Cra. Sexta postquàm sonuerit, facite ut domi nostræ sitis. Frid. Curabimus, tu abi, nos in tempore sequemur. Crat. Vos fumi uenditores dicam, si me non inuiseritis. Nicol. Viri sumus, promissa facto exequemur. Frid. Donabimúsne ipsum uino, si comessatum ipsum adierimus? Lau. Minimè gentium, sui muneris est nos tingere poculis & uino in discessus monumentum: nostrum uerò pensum erit, si quando remigrauerit huc saluus, uino excipere ipsum. Nic. Ibimus tum ad cœnam ipsum conuentum? Frid. Quid ni? id dedeceret, addixisse ipsi & emanere. Lau. Quotam sonuit horam? Nico. Quintam: & sexta instat. Lau. Eamus igitur, si accincti estis, ne in nobis sit mora. Frider. Properare opus non est, licet nos post cœnæ auspicium uenire. Nicol. Fores pulsa, aut tintinnabulo sonum facito. Cra. En mei commilitones, gratum mihi est quòd uenistis, desperabam de aduentu uestro. Frid. Tales non sumus, qui factis dissonant à uerbis. sed ubi pater est? ánne hîc domi? Crat. Intus insidet hybernaculo, ingredimini. Nicol. Præeas tu. Cra. Sequimini. Pat. Qui adsunt? Crat. Commilitones mei aliquot. Lau. Bonus uesper sit tibi here. Pat. Et uobis, grati sint uestri aduentus. Nicol. Gratiam habe. Aduenimus huc exporrectum frontem cum Cratone ueteri

nostro

Digitized by Google

noſtro ſodali, qui cras ſe hinc peregrinaturum aliò dixit. Pat. *Dignè feciſtis, eſt mihi acceptum ueſtrum aduenire: manibus aquam accipite, iamiam menſæ accumbemus. Puer, conſecra cœnam.* Puer. Benedicite. *Pater.* Dominus. *Puer.* Huius noſtræ cœnæ fercula & potus benedicat & conſecret Deus, qui ſua ſuauitate nutrit omne viuens, paſcit creaturas omnes, nullúmque ſibi fidentẽ & iuſtum deſerit, velit & nos hoc veſperi alere cibo & potu in animæ noſtræ ſalutem & ſuum honorem. In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. *Pater.* Amen. *Nunc diſcumbite, hilarem ſumamus hanc cœnam.* Nico. *Tu diſcumbe, nos aſſidebimus.* Pat. *Hîc mihi ſolet eſſe ſedes. Puer, obſonia affer.* Puer. *Adſunt.* Pat. *Vino reple uitreos calices.* Puer. *Curabo.* Pat. *Has carnes iuſculo elixas edite, mox delicatiora dabuntur.* Lau. *Munus noſtrum exequemur bellè.* Pat. *Præbibo uobis tribus, quòd dignati eſtis huc uenire cœnatum, ad monumentum diſceſſus filij mei.* Nico. *Bibas feliciter.* Lau. *Crato, hoc poculo te adoriar.* Crat. *Suſcipiam ex corde.* Fri. *Nicolaë propino tibi.* Nico. *Sit commodo.* Pat. *Puer, tolle hanc patinam, & alia edulia affer.* Puer. *Porrige.* Pat. *Aſſas has frigidas carnes comedite, quiſque ad ſuam decerpat quadram.* Nic. *Crato, ut ſaluus diſcedas, feliciórque redeas, hoc uitrum tibi propino.* Crat. *Commodè bibas.* Pat. *Crato, quocunque ueneris, uide ut probus, fidelis, diligens literarum, fugiens ludi, amans Dei & probitatis ſis, nulli quàm tibi olim proderit.* Crat. *Honeſtiſſimè agam, ne cures mi pater.* Pat. *Cura, tibi luditur, ſi non feceris. Puer tolle menſam, & hymnum gratiarum actionis dicas.* Puer. De ſumpta cœna benedicamus

Domi

Digitized by Google

Domino. *Pater.* Deo gratias. Cuius benignitate pasti sumus, conseruamur viui & salui, sit benedictus, gratiámque sempiternã habeat. *Cra.* Amen. Pater. *Vos adolescentes gratiam habete de aduentu.* Nic. *Et tu de cœna tua.* Pat. *Præbibo uobis potum gratiarum.* Nic. *Prosit, nunc abeundi tempus est. Crato, cras in digressu te alloquemur.* Cra. *Sic fiet, iam ualete.*

Conuiuium disceptatorium, & literarium.

IASPERVS, IOANNES, HENRICVS, MARCVS, MAXEMILIANVS.

IAsper. *Vos opulenti, uos locupletissimi, quando è uestris loculis conuiuium aliquod nobis instructis?* Ioan. *Conuiuari tu semper expetis: sí piscis esses, uiuarium omne exorberes, in quo reconditus esses.* Iasp. *Ille potus non iuuaret me, sitire mallem.* Hen. *Ad conuiuium impendiosum sex albos immunes dabo.* Maxe. *Et tantum ipse addam.* Mar. *Io, io, nunc bibemus, & ad Epicureorum morem cuticulam curabimus.* Hen. *His pecuniam meam expendam.* Iasp. *Redde & tuam Maxemiliane.* Maxe. *Accipe.* Iasp. *Ibo latum uinum, Creticum uel uulgare?* Max. *Quod uulgò uenditur, illius multò plus ista mercabimur pecunia.* Iasp. *Ferendo uinum, ab impendio liber ero.* Max. *Triticeos panes aliquot emas, unde rodemus, & uino perfundemus.* Iasp. *Nosco, securi sitis, expediam quàm rectissimè.* Hen. *I celeri gressu.* Iasp. *Hîc affero uini mensuras quatuor, quamlibet uiginti teruncios.* Max. *Tu cyathis infunde.* Iasp. *Sed hunc calicẽ latori debitũ, primus ebibam.* Hen. *Bibe & præliba, sítne ueneno infectũ, tũ nos securius & audentius bibemus.* Iasp. *Propino tibi.* Hen.

Sit

Sit tibi bono. Omnibus bibulis uobis præbibo. Maxem. *Sit salui tibi poculorum barathro.* Henr. *Istud conuitiari nihil pendo.* Maxe. *Iaspere, hoc cyatho te aggredior.* Iasp. *Accipiam grato animo. Agite uos combibones optimi, hîc inter pocula literarij aliquid tractemus, ne tempus (ut Plautus inquit) comburamus sine fruge.* Marc. *Conueniet: nam ut Persius ait, Ecce inter pocula quærunt Romulidæ saturi, quid diua poëmata narrent.* Iasperus. *Ego differenda proponam, uos respondete.* Maxe. *Faciemus.* Iasper. *Vtrum melius esse creditis, doctum esse & uirtute præditum, uel indoctum & uitiis inquinatum?* Maxe. *Lippi & tonsores istud diiudicarent, uirtutem & scientiam, toto cœlo præstare uitiis & insciticæ.* Iasperus. *Causam dicite.* Maxem. *Virtus ad æthera uehit, uitia ad manes præcipitant. Scientia decorat hîc in mundo, & post uitam hanc lucêre facit homines, quasi splendor firmamenti. Indocti digitis extensis exhibilantur, nihilque à caudice differunt.* Iasper. *Vtrum præualet, pax & concordia, uel lis & discordia?* Hen. *Pax, nam nutrit omnia, conseruat singula, & res paruas auget, diuinitus mortalibus data. Discordia omnia dissipat, conseruat nihil, diabolica est, ab imis inferis in mundum missa.* Iasper. *Vtrum literatum & inopem esse, uel indoctum & opulentum præstat?* Ioan. *Literas scire & inopem esse.* Maxem. *Inopes tamen nequeunt emergere, & passim pessundantur.* Ioan. *Pauperes & docti ubique in uiros euadunt, nam artem quæuis alit terra.* Iasperus. *Ideo sodales dilectissimi quicquid agimus, curemus semper, ut operam literis nauemus, chartis impallescamus, ut & olim pedes cœno extrahamus, pennas nido extendamus, nostris maioribus*

Digitized by Google

ioribus aut pares fiamus, aut præluceamus uirtute. Henr. *Hactenus illa, bibite ordine omnes, discedendum est.* Max. *Propino tibi.* Henr. *Libenti animo suscipiam.* Iaspe. *Gratiam agimus uobis heris & heroibus nostris de hoc impendioso conuiuio nobis largito.* Henr. *Quod scimus, sodalitatis causa accipite, & gratis.*

Iasp. *Vbi nostræ creuerint*
opes, uices pares
reddemus.

*

COLLOQVIORVM TYRONVM LITERATORVM, ET CONVIVIORVM

FINIS.

Digitized by Google

ADVERSVS CALVMNIAM HENDECASYLLABI PHALEVCII, per Nicolaum Ditrichum.

DOctorum haud lacerare me libellos
Quisquam existimet: at capaciori
Aetati solidos manere norit.
Tantùm hîc effigiare craßiores
Sub primis pueros studemus annis,
Quam frugem facilè è suis libellis
Excepi patientur illa primùm
Qui scripsere. Igitur rogo proteruos
Dentes Zoile, comprimas. Licebit
Vti tramite cuique promptiori,
Cui seruire nequit breuis tabella hæc.

Σπάρθαν ἣν ἔλαχες, μεμνήσω κοσμεῖν.

HEXASTICHON AD PVEROS N. D.

Heus Puer, ingenuis mentem uirtutibus orna,
Imberbis discas uerba Latina loqui.
Crede mihi, haud pulchro radiantes gemmulæ in auro,
Splendida nec byssus, purpureæ ue togæ
Ingenuum exornant puerum, quantum inclyta uirtus,
Ingens quam sequitur gloria, fama, decus.

FOR

Digitized by Google

FORMVLAE COMMVNIORES SERMONIS QVOTIDIANI.

ON *temere docet quidam, ut ſalutemus libenter. Comis enim & blanda ſalutatio, ſæpe conciliat amicitiam, inimicitiam diluit, certè mutuam beneuolentiam alit, augétque.*

Vrbanitatis eſt, ſalutare obuios: aut eos, qui nos adeunt, aut quos adimus ipſi colloquendi gratia. Item, operis aliquid agentes, coenantes, oſcitantes, ſingultientes, ſternutantes, tuſſientes.

In ructu crepituue uentris ſalutare, hominis eſt plus ſatis urbani: ſed inciuilius etiam eum ſalutare, qui reddit urinam, aut exonerat aluum.

Vrbanum eſt addere cognationis & affinitatis titulum, niſi cùm habent aliquid odij, tum enim præſtat abuti plauſibilioribus, ut pro nouerca, mater: pro priuigne, fili: pro caligarie, calciarie, Vir honorande.

Senes, ignotos adoleſcentes, filiorum cognomento ſalutant: Adoleſcentes uiciſſim illos, ut patres aut dominos.

SALVTANDI FORMVLAE *in primo congreſſu.*

Salue pater amantiſſime.
Salue mea matercula.
Salue mi frater.
Salue præceptor obſeruande.
Salue condiſcipule.
Saluus ſis.

Digitized by Google

Salue plurimùm amicorum optime.
Salue uir ornatißime, ſpectatißime.
Saluete pariter omnes.
Saluete quotquot eſtis una ſalute omnes.
Salue congerro lepidißime.
Saluete belli homunculi.
Salue iterum atq; iterum.
Salue anicula annos nata quindecim.
Salue puella annorum octoginta.
Saluere te iubeo.
Salutem tibi precor.

RESPONSIO.

Et tu ſalue.
Saluus ſis tu quoq;.
Et tu tantundem ſalue mi Nicolaë.
Et tu ſalue perpetuùm.
Salue tantundem mi Petre.
Idem tibi reprecor.

BENE PRECANDI *formulæ.*

Et bene precari ſalutationis genus eſt.

CONVIVIS.

Sit felix conuiuium.
Bene ſit uniuerſo cœtui.
Precor omnia læta omnibus uobis.
Deus bene fortunet ueſtrum conuiuium.

STERNVTANTI.

Sit fauſtum ac felix.
Seruet te Deus. *Sit ſalutiferum.*
Bene uertat Deus.

Digitized by Google

AVSPICANTI QVIPPIAM.

Sit felix & fauſtum reipublicæ,
Bono ſit omnibus quod inſtitus.
Bene uertat Deus quod agis.
Bene fortunet Chriſtus Optimus Maximus quod in manibus eſt.
Faueant ſuperi tuis conatibus.
Feliciter cedat quod inſtituiſti.
Proſperè ſuccedat quod auſpicatus es.
Bonis auibus cœpta res, melioribus exeat.

PROFICISCENTI QVOPIAM.

Precor bonis auibus hinc abeas, melioribus redeas.
Opto tibi felicem curſum, & recurſum feliciorem.
Sit iter lætum, reditus lætior.
Bonis auſpiciis ſoluas anchoram.
Vtinam iſta profectio ſuccedat tibi ex animi ſententia.
Soſpitet te IESVS *Optimus Maximus.*
Superi propitij te nobis incolumem reſtituant.
Seruet te Deus, animæ meæ dimidium.
Opto tibi reditum incolumem.

RESPONSIO.

Maximas tibi gratias ago.
Precor tibi uiciſſim omnia læta.
Seruet te Deus interim quoque incolumem.
Faxit Deus, ut omnia utrinq; cedant ex ſententia.

VALE DICENDI.

Bene uale. *Valete omnes.*
Cura ut quàm rectiſſimè ualeas.
Valetudinem tuam cura diligenter.
Vale quàm optimè.

Digitized by Google

Vale in crastinum.
In hoc biduum uale.
Cura ut sit mens sana in corpore sano.

RESPONSIO.

Dabitur quidem opera.
Valebis tu quoque.
Et tu fac ualeas.
Tibi uicissim precor prosperam ualetudinem.
Faxint superi, ut aliquando rediens incolumis, uos incolumes offendam.

IN DIGRESSV.

Quò tu nunc abis?
Quò uadis?
Quò noster Leonharde?
Quò te confers?
Quò se nunc nunc proripit ille?
Quò te Mœri pedes?
Quò properas?
Quónam hinc abiturus es?
Quò nunc iter est?

RESPONSIO.

Confero me domum.
Recipio me in patriam.
Eo in scholam.
Ibo hinc ad forum empturus panem, papyrum. Rus hinc concedo.
Eo ad macellum, allaturus opsonia.
Ex consilio parentum meorum Vuittembergam proficiscor, ad ampliorem ingenij cultum capiendum.
Propediem, ut à patre percepi, hinc abiturus sum.

Com

Digitized by Google

Commigraturus sum Noribergam, Coloniam, Basilcam, Lutetiam.

SALVTARE PER ALIVM

Frobenium iubebis meo nomine saluere.
Erasmiolum mea causa salutabis diligenter.
Matri quàm potes officiosissimè ex me salutem dicito.
Dic me omnibus omnia leta precari.
Salutabis mihi sodalitatem diligenter.
Amicos omnes meis uerbis salutato.
Fratri ex me salutem dicito.
Saluta omnes, qui de me percontabuntur.

RESPONSIO.

Faciam diligenter ac sedulò.
Curabo. Fiet. Dabo operam.
Effectum reddam: Curabitur.

BENE PRECANDI contrahenti.

Precor ut hic contractus commodo bonóq; sit utrique.
Precor ut hoc matrimonium uoluptati sit omnibus nobis.
Vtrique uestrùm faustum felixq; sit precor. Adsit Deus.

IN NOVI ANNI INITIO.

Precor ut hic annus tibi letis auspicijs ineat, laetioribus procedat, laetissimis exeat, ac sæpius recurrat semper felicior.

IN EXORTV DIEI.

Precor ut hic dies tibi candidus illuxerit.
Precor ut hic sol tibi felix fierexerit.
Sit felix ortus diei. Bonus dies.
Opto tibi bonum diem.
Prosper sit tibi hic dies.

Digitized by Google

RESPONSIO.

Sit utrique nostrûm prosperrimus.
Habeo gratiam.
Idem tibi reprecor.
Gratia Deo.
Ego tibi uicissim multa secula felicissima precor.
Amo te.
Cupio quæ uis omnia.
Amandus es.
Benignè dicis.
Comis es.

INSTANTE NOCTE.

Opto tibi noctem prosperam.
Precor tibi noctem placidam.
Contingat tibi felix somnus.
Det tibi Deus placidam quietem.
Sit tibi fausta nox.
Faustam degas noctem.

RESPONSIO.

At ego tibi pro una fausta mille precor faustissimas.
Tantundem tibi reprecor.
Tibi uicissim precor quietem placidam.

FORMVLAE PETENDI QVIDpiam à præceptore.

Obseruande præceptor, liceat mihi pace tua, hoc die abesse schola.
Amantissime præceptor fac mihi potestatem abeundi domum.
Liceat mihi consensu tuo exire ad exonerandam aluum.
Fac mihi copiam exeundi ut reddam urinam.
Liceat mihi permissu tuo exire ad exonerandam uesicam.

Precor

Digitized by Google

Precor ut sit mihi facultas hoc die laborandi in agro, prato. Abeundum est mihi rus ex iussu parentis, precor id fiat pace tua.

Aduocor hinc præceptor obseruandißime, feriis parentum meorum literis: eam ob rem, quàm possum amanter, te oro, ut hinc migrandi potestatem mihi concedas.

Quòd me primùm in tuam disciplinam humanißimè recipere dignatus es, deinde ex quo scholæ tuæ sectator fui, & fideliter & accuratè, tam literis bonis quàm rectis moribus expolire studuisti, gratias tibi immortales ago.

Humanißime uir, ego à parentibus meis missus, & tui fama excitus huc appuli, ad uberiorem ingenioli mei eruditionem comparãdam: quare tuam humanitatem amanter rogo, ut me in tuorum gregem recipere digneris, do fidem, me in omnibus quod rectum erit, quódque tu iusseris, facturum.

INFANTVLI DICVNT.

Præceptor peto ueniam exeundi { *Domum, emptum papyrum, panem, cacatum, mictum.*

EXCIPIENDI FORmulæ reducem.

Gratulor tibi aduentum.
Bene factum quòd ueneris.
Aduentus tuus saluus est mihi gratißimus.
Saluum te aduenisse gaudeo.
Gaudeo te aduenisse.
Gratulor mihi quòd aduenisti.
Sospitem te adesse uolupe est.
Gratulamur tibi felicem reditum.

Digitized by Google

RESPONSIO.

Gratias tibi ago.

Habeo tibi gratiam.

Ego uicissim lætor, quòd incolumis uos incolumes offenderim.

Gaudeo quoq; me saluum inuenire te.

Aspectus tuus incolumis, uicissim mihi iucundissimus est.

PERCONTANDI FORMA *in primo congressu.*

GEORGIVS, LIVINVS.

Georg. *Ex qua tandem corte, aut cauea nobis ades?* Liu. *Quid ita?* Georg. *Quia malè saginatus: Quia macie pelluces totus, ariditate crepitas. Vnde prodis?* Liu. *E collegio Montis acuti.* Georg. *Ergo ades nobis onustus literis.* Liui. *Imò pediculis.* Georg. *Pulchrè comitatus aduenis.* Liui. *Sanè, nec tutum est nunc uiatorem ire incomitatum.* Georg. *Agnosco sodalitium scholasticum. Ecquid nouarum rerum adfers è Lutetia?* Liui. *Illud in primis, quod scio, tibi uidetur incredibile, Lutetiæ Beta sapit, & Quercus concionatur.* Georg. *Quid tu narras?* Liui. *Hoc quod audis.* Georg. *Quid ego audio?* Liui. *Hoc quod narro.* Georg. *Monstri simile: oportet illic fungos & lapides esse auditores, ubi tales concionentur.* Liui. *At qui sic res habet, nec audita narro, sed comperta.* Georg. *Oportet illic plurimum sapere homines, si sapit Beta & Quercus.* Liui. *Rectè coniectas.* Georg. *Valésne?* Liuinus. *Contemplare multum.* Georg. *Quin magis lotium iubes? An me putas medicum? Non rogo quid ualeas, nam facies loquitur te bellè ualere. Sed*

quomodo

Digitized by Google

quomodo tibi placeat. Liui. *Corpus quidem bellè habet, ſed animo malè eſt.* Georg. *At non ualet qui iſthac parte laborat.* Liui. *Sic res habent meæ, corpus ualet, ſed ægrotat crumena.* Georg. *Facilè iſti morbo medebitur mater.*

PERCONTANDI DE ualetudine formulæ.

Vt ualuiſti uſq;? Quomodo tandem uales? Vt uales? Quomodo tecum agitur? Satín' rectè uales? Vt ſe res habent tuæ? Saluáne res? Satín' ſalua res? Quid fit? Quid agitur? Fuiſtine ſemper proſpera ualetudine? Valuiſtine ex ſententia? Ecquid uales?

RESPONSIO.

Dei gratia bene ualeo, Feliciter ualeo, Optimè ualeo, bellè, rectè, gratia ſuperis. Ego Dei beneficio perpetuò belliſſimè ualui.

Semper proſpera uſus ſum ualetudine.

Hactenus bona ualetudine fui.

Variè, ut ſunt res mortalium.

Proſperrima, fauſta, incolumi, félici, ſecunda, proſpera, integra, Baſilica, Athletica, Pancratica ſemper fui ualetudine.

GRATVLATIO DE bona ualetudine.

Liui. *Faxint ſuperi, ut iſthuc ſit perpetuũ, ac proprium. Lætus iſthuc audio.* Voluptatem *mihi nuntias. Eſt iſthuc mihi auditu perquàm iucundum.*

Sermonem iſtum audire ex te uehementer gaudeo.

Iſthuc haud inuitus audio.

Oppidò lætor iſthuc audire ex te.

Vt idem ſemper facias opto.

Digitized by Google

Tibi gratulor, mihi gaudeo.
Gratia superis.
Gratiam habeo superis.

ALIA.

Georg. *Quo pacto uales?*

RESPONSIO.

Liui. *Rectè, pulchrè, bellè, perbellè, bellißimè, perpulchrè, feliciter, commodè, minimè malè. Ex animi sententia. Valeo ut uolo, potius quàm ut mereor, Baßilicè, Pancraticè, Athleticè.* Georg. *Expectabam ut diceres etiam tauricè. Quid fit? Quid agitur?* Liui. *Equidem nihil ago. Otium ago. Id quod uides ago, nempe nihil.*

Sedetur, Statur, Legitur, Scribitur.
Nihil fit, parum agitur.

MALE VALERE formulæ.

Non admodum ex sententia ualeo.
Vtcunq; ualeo, Sic satis.
Vt possum, quando ut uolo non licet.
Vt soleo, ita ut superis uisum est.
Secus quàm uellem.
Vt solent quibuscum medicis res est.
Haud sanè commoda sum ualetudine, incommoda, perquàm incommoda, infelici, aduersa, parum prospera, parum secunda, mala, infausta, imbecilli, dubia, mediocri, alia quàm uellem. Qualem opto hostibus meis.

CONDOLENDI formulæ.

Rem mihi sanè quàm acerbam narras.
Vehementer doleo uicem tuam.

Dolet.

Digitized by Google

Dolet mihi infortunium tuum.
Sanè inuitus iſthuc ex te audio.
Prohibeant ſuperi. *Auertat Deus.*
Bona uerba quæſo.
Hîc cupiam te unanum eſſe.

CONSOLANDI Formulæ.

Bono ſis animo oportet.
Forti infractóque ſis animo.
Quando ſuperis ita uiſum eſt, æquo animo ferendum quod ſors fert.
Ferendum eſt, non culpandum quod mutari non poteſt.
Fulciendus interim eſt animus ſpe melioris fortunæ.
Multum iuuat animus in re mala bonus.

QVID MORBI EST? Formulæ.

Quod mali genus eſt?
Quis te morbus habet?
Quo morbo teneris?
Quid morbi eſt?
Quid habes morbi?
Quis te tenet morbus?
Num hydrops eſt? Num dyſenteria?
Num febris? Ad ſanitatem gradus eſt nouiſſe morbum.

RESPONSIO.

Neſcio, & hoc laboro periculoſius.
Negant eſſe febrim. Non eſt hydrops.
Opinor febris eſſe ſpeciem.

DE

Digitized by Google

QVOTIDIANI SERM.

DE MORBO LATIVS PER-

conandi formulæ.

Quampridem te habet hoc mali?
Diu est quòd teneris isto morbo?
Quantum temporis est quòd te hoc malum corripuit?
Quàm diu laborasti illo morbo?
Quoto die recurrit dolor?

RESPONSIO.

Dies plus minus uiginti.
Ferme mensis est. Iam tertius mensis est.
Mihi seculum uidetur. Quotidie recurrit.
Sæpius quàm Euripus.

VNDE CONTRAXISTI?

Formulæ.

Vnde suspicaris hoc collectum esse mali?
Qua ex causa arbitraris te in illum incidisse morbum?
Vnde illum ortum tibi esse morbum censes?

RESPONSIO.

Ex inedia. E frigore natum arbitror.
E putribus ouis morbum ortum suspicor.
E uino plus satis diluto.
E crudis malis contracta est stomachi cruditas.
E potatione largiore.
Ex immodico & intempestiuo studio hoc conciliatum uidetur morbi.

Geor. Quin accersis medicum. Liu. Timeo ne citius morbum augeat quàm adiuuet. Metuo ne pro remedio det uenenum. Geor. Deligendus est igitur, cui tutò fidas. Liu. Si moriendū est, malo semel mori, quàm toi pharmaciis excarnificatus. Geor. Fac igitur ut ipse tibi sis medicus.

Digitized by Google

cus, si diffidis homini medico. Precor ut sit tibi medici uice Deus. Nullósne consuluisti medicos? Liui. *Et quidem permultos.* Geor. *Quid respondent?* Liui. *Id quod aduocati Demiphoni apud Comicum: Alius negat, alius ait, alius deliberandum censet, in hoc consentiunt omnes me miserum esse.* Geor. *Sospitet te Christus Optimus Maximus. Precor ut diuina beneficentia nobis quàm primùm restituaris incolumis. Faxint superi, ut pristinam recipias ualetudinem quàm celerrimè, commendo te Christo medicorum optimo, is faxit ut quàm primùm conualescas. Iam me tempus aliò uocat, uale quàm optimè.*

DE CONVIVIS imitandis.

Petrus. *Cœnabis hodie domi?* Christ. *Foris cœnaturus sum, foris cœnandum est mihi.* Petr. *Apud quem?* Christ. *Apud socerum meum, apud generum, apud nurum meam, apud affinem meum.* Petr. *In crastinum te ad cœnam uoco. Cras ut mecum cœnes oro. Cras mecum prandeas rogo. Cras te conuiuam uolo.* Christ. *At uereor ne non licuerit, ut possim metuo. Veniam si quidem licebit, at metuo ne non queam.* Petr. *Cur non licebit? Quid sic? Quid ita? Quamobrem? Quo pacto? Quid causæ? Quid obstiterit quò minus possis?* Christ. *Tum quidem domi manendum mihi est. Vt domi nocte sim necesse est. Tum certè foris esse non licet. Cras mihi quôquam ire foras, liberum non erit.* Petr. *Vel perendie apud me sitis oportet. Saltem perendino die ad cœnam uenias necesse est. Quarto abhinc die non grauaberis te mihi præbere conuiuam. Die Iouis proximo non potes effugere quin uenias.* Christ. *Promittere certò nequeo. Veniam ubi utrique nostrum uidebitur*

Digitized by Google

debitur commodißimum. Veniam quidem, at hac lege, ut tu poſtridie eius diei uicißim apud me cœnes.
Faciam, eo quidẽ pacto, ut tu deinde mihi quoq; ſit cõuiua.
Spondeo futurum. *Recipio me facturum.*
Do fidem futurum, hac quidem conditione, ut tu mecum poſtridie prandeas. Petr. *Agè fiat. Eſto. Sit ita ut uis. Vt iubes faciam.* Chriſt. *Ego inſtructus accedam. Ego munitus ueniam, inſtructus multa fame accedam, tu uide ut uulturem expleueris. Parabo uentrem, ac dentes exacuam, tu uide quibus modis lupum exatures.* Petr. *Age, ad hoc certamen te prouoco. Age fac pro uiribus, pro uirili, ſi quid potes.* Chriſt. *Veniam, ſed non incomitatus.* Petr. *Tantò uenies gratior, ſed quo comite uenies?* Chriſt. *Vmbra.* Petr. *Nec ſecus poßis ſi modò luce uenies.* Chriſt. *Sed umbram adducturus ſum dentatam, unam atque alteram, ne tu me uocaris impune.* Petr. *Age ut libet, modò ne laruas adducas. Sed explana, ſi libet, quid ſibi uelit umbræ uocabulum.* Chriſt. *Apud eruditos umbræ uocantur, qui ipſi non uocati comitantur eum qui uocatus eſt ad conuiuium.* Petr. *Talium umbrarum adduc quantum uoles. Age, at caue, ne me luſeris. Caue fallas. Caue ſpem fruſtrà foueam. Caue mihi uerba dederis. Vide ne me uana ſpe lactes.* Chriſt. *Nihil opus iureiurando, in cæteris, in aliis, time perfidiam, hac in re non fallam. Sed heus tu, caue ne quicquam paraueris præter quotidiana, mea cauſa, diem feſtum uolo. Scis me conuiuam minimè edacem, bibacem multò minus. Noſti enim me conuiuam non multi cibi, ſed ioci plurimi.* Petr. *Curabitur diligenter: Ego te Pythagorica cœna excipiam, aut fortaſſe frugaliore.* Chriſt. *Imò Diogenica, ſi me delectare uoles.* Petr. *Certè Platonica*

cœna

Digitized by Google

cœnâ te accipiam, in qua multum sit literaturum fabularum, cibi minimum: cuius uoluptas duret etiam in posterum diem. Chri. Placet, fiat ut mones. Pe. Tu uide omnes curas tuas ac rugas etiam istas domi relinquas. Huc præter nugas & risum nihil adferas. Chri. Ita fiet. Exporrigemus frontem. Bellos homunculos agemus. Ridebimus affatim, curabimus cutem, indulgebimus genio. Epicureos agemus, uocabis me per puerum tuum, ubi uoles, domi ero. Bene Vale.

DE CVLTV CORPORIS uersiculi ex Ouidio.

Munditiæ placeant, fuscentur corpora campo,
Sit bene conueniens, & sine labe toga.
Linguáq; nec rigeat, careant rubigine dentes,
Nec uagus in laxa pes tibi pelle natet.
Nec malè deformet rigidos tonsura capillos,
Sit coma, sit docta barba resecta manu.
Et nihil emineant, & sint sine sordibus ungues,
Inq; cava nullus stet tibi nare pilus.
Carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi:
Ora nec immunda tota perunge manu.
Néue diu præsume dapes, sed desine citra
Quàm capias, paulò quàm potes esse minus.

CVRA ET MORES mensæ.

Puer, insterne mensam, est enim tempus prandij, uel prandio.
Hora est cœnandi, uel cœnæ.
Expande igitur primùm in mensa mappam mensalem.
Hinc panes mensæ imponito.

Postea

Digitized by Google

Posteà affer orbes, Porrige cultros.
Adpone salinum, & corbem cochlearium.
Apta circulum, Eluе calices.
Da mappas manuarias, & in patina aquam recentem ad lauandas manus. Aut ministra aquam ex gutto, linteo ex humeris suspenso, dum omnes lauerint. Hinc discumbentibus conuiuis affer è culina epulas. Appositо cibo stans uerecundè & honestè complicatis manibus ante mensam fungere tuo officio, & consecra cœnam, uel prandium.

CONSECRATIO MENSAE.

His epulis donisq; tuis benedicito CHRISTE,
Vt foueant iussu corpora fessa tuo.
Non alit in fragili panis modò corpore uitam,
Sermo tuus uitæ tempora longa facit.

ALIA EX PSALMO.

Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam ipsorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Kyrie eleeson, Christe eleeson, Kyrie eleeson. Pater, &c. Oremus: Benedic nos Domine Deus pater noster cœlestis, & hæc dona quæ de tua largitate sumimus, Per Iesum CHRISTVM Dominum nostrum. Amen.

ALIA.

Quicquid appositum est, & quicquid apponetur, felix & sacrum esse iubeat qui sua benignitate pascit uniuersa. Amen.

ALIA.

Quæ nunc sumemus membris alimenta caducis,
Hæc, Deus, imperio sint benedicta tuo.

Post

Post hæc si ministerio tuo opus est, fac sedulus sis apud mensam. Erectus & uerecundus ad mensam stato, uultu modesto, non podice ad mensam uerso.

Oculos non hinc inde coniicias, sed mensæ aduertito, diligenter animaduerte si quid desit in mensa, utpote panes, potus, epulæ, orbes, quadræ.

Si quid erit adferendum, id expeditius agas, ne moreris eundo.

Breuiter, ad omnia promptus, facilis, hilaris, & paratus esto.

Vbi uerò ministerio tuo opus non fuerit, & discumbendum tibi sit, fac primùm ungues purgatos habeas.

Hinc manus laues.

Post consecrationem autem mensæ, decenter accumbe.

Erectus sede.

Cubito ne te fulcias.

Nec pandas brachia.

Primus ne esto esu.

Cibos carpe digitis, nec conde uola.

Proxima te cape.

In orbe me morare. *Ne mande auidè.*

Nec primus bibe. *Non bibe auidè.*

Bibiturus os terge, non manu, sed mappula.

Alios ne inspicito.

Morsa ne redintinge.

Nec linge digitos.

Nec ossa rode.

Quæq; scinde cultro.

Os non perunga.

Digitos sæpe terge. *Nares ne fode.*

Non rogatus tace.

Digitized by Google

QVOTIDIANI SERM.

Quod satis est ede.
Cum satur es, surge.
Rursus manus laua.
Mensalia tolle.
Reliquias & fragmenta diligenter collige.
Quæq; in suum locum repone.
Hinc Deo gratias age.

GRATIARVM ACTIO post mensam.

Postquàm epulis exempta fames, mensæq; remotæ,
Dicemus grates nos tibi summe pater.
Non hæc humanas uires alimenta iuuabunt,
Diuina si non hæ foueantur ope.
Nanq; tuo mouent agitata è numine cuncta,
Afflatu spirant cuncta ualéntq; tuo.
Nunc etiam gratis animis alimenta ministra,
Atq; immortali pectora pasce cibo:
Et quia cura sumus tua, nos, pater optime, serua,
Et studia & uitæ tempora cuncta rege.
Cúmq; epulas dederis rerum pater optime, nobis,
Adde epulis uires pro bonitate tua.

ALIA EX PSALMO.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Qui dat escam omni carni, qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Non in fortitudine equi uoluntatem habebit, neque in tibiis uiri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. Kyrie Eleeson. Christe

Digitized by Google

FORMVLAE.

Christe eleeson. Kyrie eleeson. Pater noster, &c.

Gratias agimus tibi domine Deus pater noster cœlestis per Iesum CHRISTVM Dominum nostrum, pro uniuersis donis ac beneficiis tuis qui uiuis & regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.

ALIA.

Qui nos creauit, redemit, & pauit, benedictus sit æternum. Amen.

ALIA.

Quòd sumus utilibus dapibus potuq; refecti,
Laus tibi pro donis sit Deus, alme tuis.

CVM ADFERS POTVM.

consecrandi formulæ.

Ecce uinum.
Hoc uinum uobis faustum sit.
Hoc uinum læti bibite.
Ceruisia hæc salui sit uobis omnibus.
Bonus sit potus iste.

RESPONSIO.

Agimus tibi gratias.
Gratias ago.
Adsit Deus.

PROPINANDI FORMVLAE.

Ebibetis ordine suum quisque calicem.
Ego tibi hoc primum propino, Mida.
Tu deinde cæteris propina.
Præbibo tibi dimidiatum cyphum.

RESPONSIO.

Accipio abs te libenter.
Equidem nihil recusabo. Prosit tibi.

Digitized by Google

Nihil tua causa recusabo. Sit saluti.
Precor ut sit tibi bono.
Sit tibi bonum atque commodum.

GRATIAS AGENDI conuiuij, formulæ.

Habeo uobis hospites candidissimi gratiam, qui ad hoc conuiuiolum uenire dignati sitis.
Gratiam habeo, qui dignati sitis nostro adesse conuiuio.
Ego habeo uobis gratiam, quòd nostram exilitatem boni consulitis.

RESPONSIO.

Ego pariter tibi & meo & aliorum nomine gratias ago, quòd tua humanitate ad hoc conuiuium longè suauissimum nos uocaris.
Valete sodales optimi.
Bibite non segniter, & uiuite suauiter.

PERCONTANDI REDVcem Formulæ.

Geor. Fuitne hoc iter tibi faustum & commodum? Liu. Sic satis, nisi quòd nihil usquã tutum est à latronibus. Geor. Hic est belli ludus. Liu. Est, sed sceleratissimus. Georg. Pedes aduenis, an eques? Liu. Partim pedestri itinere, partim uehiculo, partim equo, partim nauigio. Geor. Tuæ res quo tandem in statu sunt? Liu. In optimo, felici, mediocri, tolerabili. Geor. Quo pacto se res habent tuæ? num ex uoto? Liu. Imò supra uotum, supra meritum, supra spem. Geor. Satin' ex sententia? Satin' salua omnia? Satisne prospera omnia? Liui. Res in peiori statu esse non potest. Peiore in loco negotium non potest esse. Georg. Non cepisti igitur quod captabas? Non contigit præda quam uenabaris? Liu. Venabar

equi

Digitized by Google

equidem, sed irata Delia. Geor. *Nihil reliquum est spei?* Liu. *Spei permultū, sed rei nihil.* Geo. *Episcopus nihil ostendit spei?* Liu. *Tota plaustra, totas naues, sed præterea nihil.* Geor. *Nihil adhuc misit?* Liu. *Promisit quidem largiter, sed ne teruntium quidem misit.* Geor. *Ergo spe alendus est animus.* Liu. *Sed hac non saginatur uĕter. Qui spe aluntur, pendent, non uiuunt.* Geor. *Sed hoc erat ad iter expeditior, quòd nihil esset oneris in zona.* Li. *Fateor, atq; etiam tutior. Nulla enim sunt arma certiora aduersus latrones. Sed ego malim & onus & periculum.* Geo. *Nihilne tibi ademptum est in uia?* Liu. *Mihine? Quid queso eripias nudo? Alias citius periculum erat à me. Licuit mihi uacuo uiatori per totum iter canere & esurire. Nunquid uis?* Geor. *Quò nunc hinc abis?* Liu. *Rectà domum salutaturus penates, iamdiu nõ uisos.* Geo. *Precor ut illic omnia offendas læta.* Liu. *Vtinam id uelim superi.*

ALIA.

MAVRITIVS, CYPRIANVS.

Maur. *Redisti nobis obesior solito, redisti procerior.* Cyp. *At equidem mallem prudentior, aut doctior.* Mau. *Imberbis abieras, redisti barbatulus. Contraxisti tibi absens nonnihil senij. Quid sibi uult hic pallor? quid macies? quid frons caperata?* Cyp. *Vt est fortuna, sic est corporis habitus.* Mau. *Num aduersa?* Cyp. *Nunquàm mihi quidem aliàs secunda, sed nunquàm, quàm nunc, odiosius restanit.* Maur. *Doleo uicem tuam. Dolet mihi tua calamitas. Sed quid isthuc mali est?* Cyp. *Vniuersæ pecuniæ naufragium feci.* Mau. *In mari?* Cyp. *Non, sed in littore, nondum nauem ingressus.* Mau. *Vbinam?* Cyp. *In littore Britannico.* Mau. *Bene habet quòd ipse nobis uiuus enatasti. Præstat pecuniæ iacturam facere, quàm uitæ. Leuius est pe-*

Digitized by Google

cuniæ dispendium, quàm famæ. Cyp. *Vita famáq; incolumi periit pecunia.* Mau. *Vita farciri nullo pacto potest, fama ægrè potest, pecunia facilè alicunde sarcietur. Quî malum hoc cecidit?* Cyp. *Nescio, nisi quòd sic erat in fatis meis. Sic uisum est superis. Sic libuit genio meo malo.* Ma. *Vides igitur doctrinam ac uirtutem tutissimas esse diuitias, quæ nec eripi possunt, nec grauant circunferentem.* Cyp. *Pulchrè tu quidem philosopharis, sed interim ego ringor.*

ALIA.

CLAVDIVS, BALBVS.

Claud. *Gratulor tibi reduci Balbe.* Bal. *Et ego tibi superstiti Claudi.* Cla. *Gratulor tibi in patriam reuerso.* Bal. *Imò gratulare magis è Gallia profugo.* Cla. *Quid ita?* Bal. *Quia illic bellis feruent omnia.* Clau. *Quid Musis cum Marte?* Bal. *Atqui illic ne musis quidem parcitur.* Clau. *Tu igitur feliciter elapsus es.* Bal. *At non sine periculo.* Cla. *Totus alius nobis redisti.* Bal. *Quî sic?* Cla. *Ex Hollando uersus es in Gallum.* Bal. *Quid? an capus eram cùm hinc abirem?* Clau. *Vestis indicat te mutatum esse ex Batauo in Gallum.* Bal. *Hanc metamorphosim malim quàm gallinam: Sed ut cuculla non facit monachum, ita nec uestis Gallum.* Cl. *Iámne calles Gallicè?* Bal. *Sic satis.* Cla. *Quo pacto didicisti?* Bal. *A magistris haudquaquàm mutis.* Cla. *Quibus?* Bal. *A mulierculis quouis turture loquacioribus.* Clau. *In tali ludo facilè discimus loqui. Sonáne probè sermonem Gallicum?* Bal. *Imò ex Latinum sono Gallicè.* Cl. *Nunquàm igitur scribes bona carmina.* Bal. *Cur ita?* Cl. *Quia periit tibi syllabarum quantitas.* Bal. *Mihi satis est qualitas.* Cla. *Quid, éstne Lutetia immunis à pestilentia?* Balb. *Non est, sed perpetua non est, aliquando remittit sese, mox re-*

crudescit.

Digitized by Google

crudescit, nonnunquàm intermittitur, deinde recipit se. Clau. Non sat erat malorum ubi bellum est? Bal. Erat, nisi secus esset usum superis. Clau. Annonæ caritatem istic esse oportet. Bal. Imò penuriam omnium rerum illic inopia est, præterquàm sceleratorum militum. Bonorum uirorum illic mira uilitas. Clau. Quid accidit Gallis ut bellum suscipiant cum Aquilis? Bal. Quia mouet illos exemplum scarabei, qui non cessit Aquilæ. In bello nemo sibi non uidetur Hercules. Clau. Non te remorabor diutius. Aliàs latius nugabimur, cum erit utrique commodum. Nunc aliò me uocant negotia quædam.

DOMESTICA CONfabulatio.

PETRVS, MIDA PVER, IODOCVS.

Pet. Heus heus Puer, nemón' huc prodit? Mida. Hic opinor effringet fores, familiarem oportet esse. O lepidum caput. Quid affers mi Petre? Pet. Meipsum. Mida. Næ tu rem haud magni pretij huc attulisti. Pet. Atqui magno cõstiti patri meo. Mida. Credo pluris quàm reuẽdi possis. Pet. Sed Iodocus éstne domi? Mida. Incertus sum, sed uisam. Quin tu potius abi, & roga ipsum, an uelit nũc esse domi. Abi tu potius, sisq; tibi ipsi Mercurius. Pet. Heus Iodoce, num es domi? Iod. Non sum. Pet. Impudens, nõ ego audio te loquentẽ? Iod. Imò tu impudẽtior. Nuper ancillæ tuæ credidi te nõ esse domi, & tu nõ credis mihi ipsi? Pet. Æquum dicis. Par pari relatũ. Iod. Equidẽ ut non omnibus dormio, ita non omnibus sum domi: tibi posthac semper ero. Pet. Sed tu mihi uidêre cochleæ uitam agere. Iod. Qui sic? Pet. Quia perpetuò domi latitas, nec usquam prorepis. Non secus atque claudus sutor iugiter domi desides. Tu tibi domi situm contrahis. Iod. Est quod agam

domi, foris nihil est negotij. Et si quid esset, tamen hoc cœlum me dies aliquot à publico cohibuisset. Pet. At nunc studium est, & inuitat ad deambulandum. Vide ut blanditur. Iod. Si prodeambulare lubet, non recuso. Pet. Planè uidetur hoc utendum cœlo. Iod. Ascifcendus est unus aut alter congerro. Pet. Fiet, modò dicas quos uelis. Iod. Quid si Hugonem? Pet. Haud multùm interest inter Hugonem & nugonem. Iod. Age placet. Pet. Quid si Alardum? Iod. Homo minimè mutus est: quod auribus diminutum est, lingua pensat. Pet. Si uidebitur, Nœuium adiungemus. Iod. Si quidem dabitur illius copia, nunquam erit fabularum inopia: placent confabulationes, supereft ut locum despicias amœnũ. Pet. Ego uerò tibi locum ostendam, ubi nec nemoris umbram, nec pratorum smaragdinum uirorem, nec fontium uiuas scatebras desiderabis, dices dignã Musis sedem. Iod. Magnificè polliceris. Pet. Nimium affixus es libris, nimium assides libris, immodico studio te maceras. Iod. Malim studio macrescere, quàm amore. Pet. At non ideo uiuimus, ut studeamus: sed ideo studemus, ut suauiter uiuamus. Iod. Mihi uerò uel immori chartis dulce est. Pet. Equidem immorari probo, immori non probo. Ecquid uoluptati fuit hæc deambulatio? Iod. Me quidem uehementer oblectauit.

ALIA.

EGIDIVS, LEONARDVS.

Egid. Quò noster Leonardus? Leo. Ad te ibam. Egi. Istud quidem facis insolens. Leo. Quamobrem? Egi. Quia iam annus est quòd nos nõ uiserit. Leo. Malo in hãc peccare partem ut desiderer, quàm ut obtundam. Egid. Imò boni amici nulla est apud me satietas, imò quo crebrius uenies, hòc mihi uenies gratior. Leo. Quid interim agitur

dom

Digitized by Google

domi tuæ? Egid. Multa sanè quæ nolim. Leo. Non miror. Sed quid rerum gerunt filij? Egid. Natu maximus iamdudum maritus est, breui pater futurus, minimum ablegaui Lutetiam, nam hîc nihil aliud quàm ludebat. Leo. Quid eò? Egid. Vt magister nobis redeat stultior quàm exierat. Leo. Bona uerba. Egid. Medius iam cœpit initiari sacris. Leo. Precor ut bene uertat omnibus.

ALIA.

MOPSVS, DROMO.

Mop. Quid fit? Quid agitur Dromo? Dro. Sedetur. Mop. Video. Sed quomodo se res habent tuæ? Dro. Vt solent ijs, quibus superi sunt parum propitij. Mop. Isthuc omnis auertat Deus. Quid agis? Dro. Equidem otium ago, id quod uides, nimirum nihil. Mop. Præstat otiosum esse, quàm nihil agere: ego te fortassis occupatum seriis negotijs interpello. Dro. Imò maximè uacuum, iam enim me ceperat otij tædium, & congerronem desiderabam. Mop. Fortassis impedio, interrumpo, interturbo tua negotia. Dro. Imò tædium otij discutis. Mop. Da ueniam, si te parum in tempore interpellarim. Dro. Imò in ipso tempore aduenis. Opportunè to huc attulisti. Optatus ades. Interuentus tuus est mihi uehementer gratus. Mop. Fortassis aliquid seriæ rei inter uos agitur, cui nolim esse impedimento. Dro. Imò lupus (quod aiunt) adest in fabula: nam de te sermo erat. Mop. Facilè crediderim, nam mihi huc uenienti mirè timuebat auris. Dro. Vtra? Mop. Læua. Vnde coniicio nihil magnificè de me fuisse prædicatum. Dro. Imò nonnihil honorificum. Mop. Vanum igitur fuerit oportet. Sed quid est bonæ rei? Dro. Aiùt te uenatorem esse factum. Mop. Imò iam intra cassès meos est præda quam uenabar. Dro. Quænam? Mop. Lepida puella,

Digitized by Google

quam perendie ducturus sum. Vósq; oro ut meas nuptias uestra præsentia dignemini honestare. Dro. *Quænam est sponsa?* Mop. *Aloisia Chremetis filia.* Dro. *Egregium spectatorem formarum. Tuis oculis adlubuit illa nigro capillitio, simis naribus, ore prælargo, uentre prominulo.* Mop. *Definite, mihi eam duxi, non uobis. Non satest quòd suo Regi pulchra est Regina? Ita demum illa mihi placebit, si uobis non admodum placeat.*

ALIA.

SYRVS, GETA.

Syrus. *Opto tibi multam felicitatem.* Geta. *Et ego tibi conduplicatum opto, quicquid optas mihi.* Syrus. *Quid agis rei?* Geta. *Confabulor.* Syrus. *Quid? confabulare solus?* Geta. *Vt uides.* Syrus. *Fortasse tecum? proinde tibi uidendum ut cum homine probo fabuleris.* Geta. *Imò cum lepidissimo congerrone confabulor.* Syrus. *Quo?* Geta. *Apuleio.* Syrus. *Istud quidem nunquàm non facis. Sed amant alterna camœnæ, tu perpetuò studes.* Geta. *Non est ulla studiorum satietas.* Syrus. *Verum, sed tamen est modus quidam. Non omittenda quidem sunt studia, sed tamen intermittenda nonnunquàm. Non abiicienda sunt, sed relaxanda. Nihil suaue quod perpetuum. Voluptates commendat rarior usus. Tu nihil aliud quàm studes. Nunquàm non studes. Continenter incumbis literis. Indesinenter inhæres chartis. Studes noctes & dies, nullum facis studendi finem, neque modum.* Geta. *Age tuo more facis, rides me ut soles. Nunc ludis tu quidem me. Salsè me rides. Satyricum agis. Naso me suspendis adunco. Non me fallit tuum scomma. Nunc ludos deliciásque me facis. Pro delectamento me habes. Nunc planè ioco mecum agis. Rideor abs te. Eadem opera assue*

Digitized by Google

ra assue mihi auriculas asini. Ipsi codices puluere sitique obducti loquuntur, quàm sim immodicus in studio. Syr. *Emoriar, ni loquor ex animo. Dispeream, si quid fingo. Loquor id quod sentio. Quod res est dico. Serio loquor. Ex animo loquor. Non secus sentio, quàm loquor.*

CVR NON VISIS NOS?

Formulæ.

Get. *Quid caussæ est, quòd tam diu nos non inuiseris? Quid rei est, quòd nos tam rarò uisis? Quare tam rarus es salutator? Quid accidit? Quid sibi uult? Quid obstitit, quo minus fecerit nobis tui uidendi copiam? Quid impedimento fuit?*

NON LICVIT.

Syr. *Non licuit per otium. Volui quidem, at non licuit mihi per mea negotia. Occupatior fui quàm ut potuerim. Vix ipsi mihi fuit copia mei, præ molestis negotiis. Non defuit uoluntas, sed uetuit necessitas. Non licuit per ualetudinem.*

Geta. *Equidem accipio tuam excusationem, sed hac lege, ne sæpius utaris. Excusatio tua iustior est, quàm uellem, si quidem ualetudo in causa fuit: Hac lege mihi purgatus eris, si, quod factum est, officio sarcias. Si superiorem cessationem crebra uisitatione pensес.* Syrus. *Amicitia nostra firmior est quàm ut sit tam uulgaribus officiis alenda. Satis crebrò uisit, qui constanter amat.* Geta. *Malè sit istis curis, quæ te nobis adimunt. Quid imprecer istis negotiis quæ talem amicum nobis inuident?*

Pessim

Pessimè sit isti febri, quæ nos tam graui desiderio torsit tui. Malè pereat ista febris te incolumi.

MANDANDI AC POLLIcendi formulæ.

IACOBVS, SAPIDVS.

Iac. Queso ut hæc res tibi cordi sit. Etiam atq; etiam rogo, ut hoc negotium tibi curæ sit. Si me amas, causam hanc tractabis diligenter. Sap. Desine, ego tibi hoc effectum reddam, & quidem propediem. Curabo diligentius quàm si mea res ageretur. Tu in utranuis dormias aurem, ego tibi hoc confectum dabo. Tu quietus esto, in me recipio prouinciam omnem. Gaudeo mihi datum occasionem, qua declarem meum in te animum. Equidem oratione nihil polliceor, sed re præstabo, quicquid est amici synceri, & ex animo beneuolentis. Nolim te lactare uana spe.

SVCCESSVS.

Sap. Res succesit opinione melius.
Fortuna uotis utriusque fauit.
Res tua & uentis & amne secundo processit.
Si fortuna tibi nupsisset, non potuisset esse secundior.
Plus impetraui, quàm fuissem ausus petere.
Res omnis cecidit ex sententia.
Pulchrè nobis cecidit hæc alea.
Noctua uolauit.

GRATIA.

Iacob. Equidem gratiam habeo, & habiturus sum quoad uiuam, maximam. Pro isto tuo in me officio pares agere gratias uix possim, referre nequaquam. Amo te plurimùm. Et habetur à me tibi gratia, & habebitur semper. Habeo gratiam, quòd meum tibi negotium cordi fuit. Plus tibi debeo quàm ut unquàm soluendo esse possim.

Arctius

Arctius me obligasti, quàm ut ex diario tuo unquàm nomen meum expungere queam.

Hac re me tibi deuinctiorem reddidisti, quàm ut unquàm ęs alienum persoluere possim?

RESPONSIO.

Sap. *Auser ista, maior est nostra necessitudo, quàm ut uel tu mihi, uel ego tibi pro ullo officio debeam gratias agere. Non contuli in te hoc officium, sed retuli. Sibi bene facit qui benefacit amico. Videor mihi beneficium accepisse, quòd nostrum officium boni consulis. Qui bene meretur de amico, non dat beneficium, sed fœnerat. Si ex animo probas officium in te meum, fac sæpius utare. Ita credam tibi gratum esse quod feci, si quoties desiderabis operam meam, non roges, sed imperes quod uoles.*

HERILIA.

RABINVS, SYRVS.

Rab. *Heus heus furcifer, iandudum rauescо clamore, nec tu tamen expergiscеris, uidêre mihi uel cum gliribus certare posse. Aut ocyus surge, aut ego tibi fuste somnum istum excutiam. Quando crapulam hesternam edormieris? Non te pudet somnium hominis, in multam lucem sterteres? Qui frugi sunt famuli, solent exortum solis anteuertere, curaréque ut herus surgens reperiat omnia parata. Vt ægrè diuellitur à nido tepefacto Cuculus. Dum scalpit caput, dum distendit neruos, dum oscitat, tota abit hora.* Syrus. *Vix dum diluxit.* Rab. *Credo tibi, nam tuis oculis adhuc multa nox est. Tibi nox adhuc est concubia.* Syr. *Quid me iubes facere?* Rab. *Fac ut luceat foculus, uerre pileum ac pallium, exterge calceos & crepidas. Inuersas caligas primùm intus purga scopis, mox foris, deinde suffitum aliquem*

Digitized by Google

aliquem facito purgando aëri. Accende lucernam. Muta mihi lineum indusium, ac sicca lotum. Syr. Fiet. Rab. Atqui moue te ocyus, iam hæc fecisse oportuit. Sy. Moueo. Rab. Video, sed nihil promoues. Vt incedit testudo. Syr. Non possum simul sorbere & flare. Rab. Etiam sententias loqueris carnifex? Tolle matulam, compone lecti stragulas, reuolue cortinas, uerre pauimentum, uerre sŏlum cubiculi. Adfer aquam lauandis manibus. Quid cessas asine? Annus est priusquàm accendas candelam. Syr. Vix reperio scintillam ignis. Rab. Sic heri condidisti. Syr. Nec follem habeo. Rab. Vt responsat nebulo, quasi qui te habeat careat folle. Syr. Quàm imperiosum habeo dominum, uix huius iussis decem expediti famuli fecerint satis. Rab. Quid ais cessator? Syr. Nihil, omnia rectè. Rab. Non ego te audio obmurmurantem? Syr. Equidē precor. Rab. Credo pater noster inuersum. Precationem opinor dominicam præposterè. Quid gannis de imperio? Syr. Precor tibi ut fias imperator. Rab. Et ego tibi ut fias homo ex caudice. Sequere me ad templum usque, mox domum recurrito, lectos concinnato. Hæc confusa suo quæque loco digerito. Fac ut niteat tota domus. Matulam defricato. Hæc sordida submoueto ab oculis, fortassis inuisent me quidam aulici. Si quid sensero prætermissum, uapulabis largiter. Syr. Hîc sanè noui benignitatem tuam. Rab. Próinde caue si sapis. Syr. At interim de prandio nulla mentio. Rab. Vah, ut hic mentem habet furcifer. Non prandeo domi. Itaque sub horam decimam ad me transcurrito, deducturus me eò, ubi sum pransurus. Syr. Tibi quidem prospectum, sed hîc interim nihil est, quod edam. Rap. Si non est quod edas, est quod esurias. Syr. Nemo fit esuriendo satur. Rab. Est panis. Syr. Est: sed ater

&

& furfuraceus. Rab. *Delicias hominis, te quidem fœnum esse oportuit, si pabulum detur te dignum. An postulas ut te aſinum tantum placentis ſaginem? Si faſtidis panem citra opſonium, adde porrum, aut ſi mauis, cæpe.*

A L I A.

Ra. *Eſt tibi abeundum in forum.* Sy. *Tam procul?* Ra. *Non ſunt niſi ſex paſſus, tibi pigro ſunt bis mille. Conſulam autem tuæ pigritiæ. Eadem legatione multa conficies negotia. Tu ſupputa in digitos, ut memineris. Primùm deflectes ad ueſtiarium, ac thoracem undulatum, ſi iam perfectus eſt, ab eo recipies. Hinc quæres Cornelium ueredarium, is plerunq; eſt in Ceruo, ibi potitat. Rogabis ſi quid habet literarum ad me, & ad quem diem ſit profecturus. Deinde conuenies mercatorem pannarium, rogabis meis uerbis, ne quid ſolicitus ſit quòd pecuniam non miſerim ad diem præſcriptum, numerabitur propediem.* Sy. *Quando? ad calendas Græcas.* Ra. *Rides ganeo, imò ante calendas Martias. In reditu deflectes ad læuam, & ex Bibliopolis diſcas ſi quid aduectum ſit nouorum libellorum è Germania. Cognoſce qui ſint, & quanti uenales. Poſt hæc rogabis Goclenium ut nubi dignetur eſſe conuiua, alioqui cœnaturo ſoli.* Sy. *Etiam conuiuas uocas? non habes domi unde uel murem paſcas.* Rab. *Prómde tu confectis cæteris abi ad macellum, & eme nobis armum ouillum, cum curabis eleganter aſſum. Audín' hæc?* Sy. *Plura quàm uellem.* Ra. *At uide ut memineris.* Sy. *Vix potero dimidium.* Rab. *Etiam hîc ſtas ceſſator? Iam rediſſe oportuit.* Sy. *Quis poſſit unus tot rebus obeundis ſufficere? Deduco ac reduco. Sum illi à ſcopis, à matula, à pedibus, à manibus, à poculis, à libellis, à rationibus, à iurgiis, à legationibus. Poſtremò non uidcor illi ſat occupatus, niſi ſim & coquus.*

ALIA

ALIA.

Rabi. Proferocreas, nam equitandum est. Sy. En adsunt. Rab. Probè quidem abs te curatæ, totæ albent situ, opinor nec exterſas, nec unctas hoc anno, adeò rigent præ ſiccitate. Exterge ſubuuido panno, mox unge ad ignem diligenter, ac macera donec mollefcant. Sy. Curabitur. Rab. Vbi calcaria? Sy. Adſunt. Rab. Verum, ſed obducta rubigine. Vbi frenum & ephippia? Sy. Sunt in promptu. Rab. Vide ne quid deſit, aut ne quid ruptum, aut mox rumpendum, ne quid nobis ſit in mora, cùm erimus in curſu. Propera ad ſellarium, & hoc locorum cura ſarciendum. Reuerſus, inſpice ſoleas ſiue calceos equorum, num qui claui deſint aut uacillet. Quàm macilenti ſunt equi, quámq; ſtrigoſi! Quoties abſtergis aut pectis illos in anno? Sy. Imò quotidie. Rab. Nimirum res ipſa loquitur, ieiunant, opinor, nonnunquàm totum triduum. Sy. Minimè. Rab. Negas tu quidem, ſed aliud dicturi ſint equi, ſi loqui liceat, quanquàm ſatis loquantur ipſa macie. Sy. Curo ſedulò. Rab. Cur igitur tu habitior equis? Sy. Quia non paſcor fœno. Rab. Hoc igitur reſtat. Adorna manticam celeriter. Sy. Fiet.

MONITORIA.

PAEDAGOGVS, PVER.

Tu mihi uidêre non in aula natus, ſed in caula, adeò moribus es agreſtibus. Puerum ingenuum decent ingenui mores. Quoties alloquitur te quiſpiam cui debes honorem, compone te in rectum corporis ſtatum, aperi caput. Vultus ſit nec triſtis, nec toruus, nec impudens, nec proteruus, nec inflabilis. Sed hilari modeſtia temperatus, oculi uerecundi, ſemper intenti in eum, cui loqueris, iuncti pedes, quietæ manus. Nec uacilles alternis tibiis, nec ſint geſticuloſe

Digitized by Google

culosæ manus, nec mordeto labrum, nec scabito caput, nec fodito aures. Vestis item ad decorum componatur, ut totus cultus, uultus, gestus, & habitus corporis ingenuam modestiam, & uerecundam indolem præ se ferat. Pu. Quid si mediter? Pæ. Fac. Pu. Siccine satis? Pæ. Nondũ. Pu. Quid si sic? Pæ. Propemodum. Pu. Quid si sic? Pæ. Hem, satis est, isthuc tene. Ne sis ineptè loquax, aut præceps, nec uagetur animus interim, sed sis attentus quid ille dicat. Si quid erit respondendum, id facito paucis ac prudenter, subinde præfatus honorem, nonnunquam & addito cognomento honoris gratia, atque identidem modicè flectas alterum genu, præsertim ubi responsum absolueris, nec abeas nisi præfatus ueniam, aut ab ipso dimissus. Nunc age, specimen aliquod huius rei nobis præbe. Quantum temporis abfuisti à maternis ædibus? Pu. Iam fermè sex menses. Pæ. Addendum erat, Domine. Pu. Iam sex fermè menses Domine. Pæ. Non tangeris desiderio matris? Pu. Nonnunquam sanè. Pæ. Cupis eam reuisere? Pu. Cupio Domine, si id pace liceat tua. Pæ. Nunc flectendum erat genu. Bene habet. Sic pergito. Cùm loqueris, caue ne præcipites sermonem, aut hæsites lingua, aut palato immurmures, sed distinctè, clarè, articulatè consuescito proferre uerba tua. Si quem præteribis natu grandem, magistratum, sacerdotem, doctorem, aut alioqui uirum grauem, memento aperire caput, nec pigeat inflectere genu. Itidem facito, cùm præteribis ædem sacram, aut imaginem crucis. In conuiuio sic te præbebis hilarem, ut semper memineris, quid deceat ætatem tuam. Postremus omnium admoueto manum patinæ. Si quid datur lautius, rectusato modestè: si instabitur, accipe, & age gratias, mox decerpta portiuncula, quod reliquum est, illi reddito, aut alicui proximo

Digitized by Google

nimo succumbenti. Si quis prohibet, hilariter illi bene precare, sed ipse bibito modicè. Si non sitis, tamen admoneto cyathum labiis. Arride loquentibus, ipse ne quid loquaris nisi rogatus. Si quid obscœni dicetur, ne arride, sed compone multum quasi non intelligas. Ne cui obtrectato, ne cui temet anteponito, ne tua iactato, ne aliena despicito. Esto comis etiam erga tenuis fortunæ sodales. Neminem deferto. Ne sis lingua futili. Ita fiet, ut sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares. Si uideris conuiuium esse prolixius, precatus ueniam, ac salutatis conuiuis, subducito te à mensa, uide ut horum neminem offendas. Pu. *Dabitur opera mi præceptor. Numquid aliud uis?* Pæ. *Adito libros tuos.* Pu. *Fiet.*

DE LVSV.

NICOLAVS, HIERONYMVS, COCLES, PAEDAGOGVS.

Nico. *Iandudum & animus, & cœlum, & dies inuitat ad ludendum.* Hier. *Inuitant quidem hæc omnia, sed solus præceptor non inuitat.* Nico. *Subornandus orator quispiam, qui ueniam extorqueat.* Hier. *Aptè quidem dictum, extorqueat. Nam citius clauam extorseris è manu Herculis, quàm ab hoc ludendi ueniam. At olim illo nemo fuit ludendi auidior.* Nico. *Verum, sed iam olim ille oblitus est se fuisse puerum. Ad uerbera facillimus est, & liberalis, hic parcissimus, idémque difficillimus.* Hier. *Attamen protrudendus est aliquis legatus, non admodum uerecundæ frontis, quem non ilico protelet suis sæuis dictis.* Nico. *Eat qui uolet, ego carere malo, quàm rogare.* Hieron. *Nemo magis accommodus in hanc legationem, quàm Cocles.* Nico. *Nemo profectò, nam perfrictæ frontis est, ac bene linguax: deinde sensum hominis pulchrè callet.*

Hie.

Digitized by Google

Hier. I Cocles, ab omnibus nobis magnam inniturus gratiam. Co. Equidem experiar sedulò: uerùm si non succesſerit, non conferte culpam in oratorem uestrum. Hier. Bene ominare, si te satis nouimus, impetrabis. Abi orator, redibis exorator. Co. Eo. Bene fortunet legationẽ meã. Mercurius. Salue præceptor. Pæ. Quid sibi uult mugamentum hominis? Co. Salue præceptor obſeruande. Pæ. Inſidioſa ciuilitas. Satis iam ſaluco, dic quid tibi uelis. Co. Totus diſcipulorum tuorum grex orat laudendi ueniam. Pæ. Nihil aliud quàm inditis, etiam abſque uenia. Co. Scit tua prudentia, uigorem ingeniorum excitari moderato luſu, quemadmodum nos docuiſti ex Quintiliano. Pæ. Sanè ut iſthuc tenes, quod pro te facit. Examento opus eſt iis, qui uehementer laborant: uobis qui ſegniter ſtudetis, & acriter luditis, fræno magis opus eſt, quàm laxatis habenis. Co. Admittimur pro uiribus. Et ſi quid hactenus ceſſatum eſt, pòſt diligentia ſarcietur. Pæ. Oh, ſartores. Quis erit fideiuſſor iſthuc futurum? Co. Ego capitis mei periculo non dubitem eſſe ſponſor. Pæ. Imò culi periculo potius. Scio quàm non ſit tutum tibi credere, tamen hìc periculum faciam, quàm ſis bonæ fidei. Si dederis uerba poſthac, nequicquam mecum egeris. Ludant, ſed ſegregatim in campis. Ne diuertant ad compotationes, aut alia nequiora. Maturè ſe recipiant domum ante ſolis occubitum. C. Fiet. Exoraui, quanquàm ægrè. H. O lepidam caput, omnes amamus te plurimùm. Co. Sed interim cauendum ne quid peccemus, alioqui de meo tergo dependendum foret: fideiuſſi ueſtro omnium nomine, quòd ſi quid accidat, non eſt quòd me poſthac utamini legato. Hie. Cauebitur. Sed quod luſus genus potiſſimùm placet? Coc. De hoc in campo conſultabimus.

Digitized by Google

PILA.

Nic. Nulla res melius exercet omnes corporis partes, quàm pila palmaria, sed aptior hyemi, quàm æstati. Hie. Nullum anni tempus nobis parum accommodum est ad ludendum. Nic. Minus sudabitur si ludamus reticulo. Hie. Imò reticulum piscatoribus relinquamus, elegantius est palma uti. Nic. Age nihil moror, sed quanti certabimus. Hie. Talitro, sic parcetur pecuniæ. Nic. At ego malo fronti parci quàm pecuniæ. Hie. Et mihi frons charior est pecunia. Aliquo periculo certãdum est, alioqui friget ludus. Nic. Sic res habet, ut dicis. Hie. Vtra pars prior cuicerit tres lusus, ei uicta pendet sextam drachmæ partem: sed hac lege, ut quicquid è victoris collectum fuerit, insumatur in conuiuium, ad quod pariter uocentur omnes. Nic. Placet lex, & rata esto. Superest igitur, ut sortiamur partes: nam summus fermè pares omnes, ut non admodum referat quis cui coniungatur. Hier. Tu tamen me longè peritior es. Nic. Vt sim, sed tu felicior. Hie. Etiam hîc ualet fortuna? Nic. Illa nusquam non regnat. Hie. Age fiat sortitio. Euge, bene cecidit, cõtigere quos uolebam. Nic. Et nos nostræ sodalitatis non pœnitet. Hie. Age, simus uiri, amat uictoria curam. Suum quisq; locum gnauiter tueatur. Tu mihi consiste à tergo, excepturus pilam si me transuolet. Tu istuc observa, repulsurus huc ab aduersariis reuolantẽ. Nic. Ne musca quidem hac præteruolarit impune. Hie. Agite bonis auibus, mittite pilam in tectum. Qui miserit nihil præfatus, frustrà miserit. Nic. Hem, accipe igitur. Hie. Mittito: Si miseris extra lineas, aut infra supráue tectum, uestro damno fuerit, aut certè nobis fraudi esse nolim: tu sanè parum commodè mittis. Nic. Tibi quidem, at nobis commodè. Hie. Vt miseris, ita remittam

Digitized by Google

mittam. Par pari referam. Sed præstat ingenuè legitimèque ludere. Nic. *In ludo pulchrum est arte uincere.* Hie. *Fateor atque etiam in bello. Sed habet utraque pars suas leges, & sunt artes illiberales.* Nic. *Credo plures septem. Signa terminum testula, aut rudere, aut si mauis pileo tuo.* Hie. *Tuo malim.* Nic. *Rursus excipe pilam.* Hier. *Mitte, pone notam.* Nic. *Habemus duos terminos satis longinquos.* Hie. *Vtcunque, sed tamen uincibiles.* Nic. *Planè uincibiles, si nemo repugnet.* Hie. *Euge, priorem metam prætercurrimus, uicimus quindecim. Heus præbete uos uiros, uiceramus & hic si tu tuo consuiisses loco. Summus igitur pares.* Nic. *Non diu futuri, uicimus triginta, uicimus quadraginta quinque.* Hier. *Sestertias?* Nic. *Non.* Hie. *Quid igitur?* Nic. *Numeros.* Hie. *Quò pertinent numeri, si nihil est quod numeres?* Nic. *Noster hic ludus est.* Hier. *Præpropere tu quidem, ante uictoriam canis triumphum: uidi qui uincerent ab hoc numero, qui nihil habebant. Varia est, ut Martis, ita lusus alea: habemus triginta, iam rursum sumus pares.* Nic. *Nunc seriò res agitur. Euge, successit, habemus potiores.* Hier. *Non diu habituri, dixin'? Rursus æquali fortuna sumus.* Nic. *Diu nutat fortuna, uelut anceps, utris uelit addicere uictoriam. O fors fortuna, si nobis faueris, dabimus tibi maritum. Euge, audiuit totum, penes nos est huius certaminis uictoria. Pone notam cretaceam, ne excidat.* Hier. *Iam appetit uespera, & sudatum est satis, præstat à ludendo desistere, ne quid nimis, supputemus lucrum.* Nic. *Nos euicimus tres drachmas, uos duas, restat igitur una ad compotationculam. Sed interim quis soluet pretium pilarum?* Hie. *Omnes ex æquo pro sua quisq; portione. Nam lucrum exilius est, quàm ut inde posit aliquid decidi.*

Digitized by Google

QVOTIDIANI SERM.
LVDVS GLOBORVM
missilium.

ADOLPHVS, BERNARDVS.

Adol. Tu toties apud me gloriatus es, te mirum quendam esse artificem in certamine mittendorum globorum. Age, libet experiri qui uir sies. Ber. Nihil detrecto, huc, si quid libet. Nunc tu planè, quod dici solet, in planitiem prouocas equum. Adol. Et tu senties me non esse asinum. Ber. Placétne monomachia, ut unus cum uno congrediatur, an mauis adiungi socios periculi. Ad. Malo μονομαχίαν, ne qua pars uictoriæ decidatur alteri. Ber. Isthuc & ipse malo, ut mea laus insolidum sit mea. Adol. Hi spectatores erunt & arbitri. Ber. Recipio: sed quod erit uictori brauium, aut quæ uicto pœna? Ado. Quid si uicto amputetur auricula? Ber. Imò testium alter execetur potius: non est magnificum, certare pro pecunia. Tu Germanus es, ego Gallus, decertemus pro suæ uterque gentis gloria: si uicero, tu ter exclamabis. Floreat Gallia: si uictus, quod absit, fuero, totidem uerbis celebrabo tuam Germaniam. A. Age, placet conditio. B. Adsit fortuna, quando periclitantur hoc ludo duæ maximæ nationes, sint æquales sphæræ. Adol. Nosti saxum illud prominens haud procul à porta? Ber. Noui. A. Ea erit meta, & hæc linea. Ber. Esto, sed sint, inquam, pares globi. Adol. Minus discernas ouum ab ouo, aut ficum à ficu: sed mea non refert, utrum malis elige. B. Mitte. A. Heus tu, mihi non brachium, sed ballistam habere uideris, ita torques globum. B. Satis momordisti labrum, satis rotasti brachium, tandem mitte. O uires Herculeas! sed tamen uinco. A. Nisi sceleratus ille laterculus obstitisset, præuerteram te. B. Consiste in sphæræ tuæ uestigio. A. Non utar

dolo

dolo malo, cuplo uirtute, non fraude uincere, quãdoquidem de gloria certamen est: bene uerti. Ber. Ingens profectò iactus. Ad. Ne ride priusquam uiceris: adhuc penè sumus pares. Ber. Nunc res agitur. Vter prior metam contigerit, is uicerit. Ad. Vici, canta. Ber. Sed definiendũ erat, quoto ludo constaret victoria: nam primo nondum incaluerunt uires. Ad. Definiant arbitri. Ar. Tertio. Ber. Placet. Ad. Quid ais? Agnoscisne uictorem? Ber. Tibi fortuna magis aspirauit, uiribus & arte non tibi cessero: sed quod arbitri pronuntiauerint, id sequar. Ar. Germanus uicit, & hoc glorioſior est uictoria, quòd talem artificem uicerit. Ad. Nunc canta Galle. Ber. Sum rancus. Ad. Hoc Gallis nouũ non est, sed tamen coccyssa. Ber. Floreat Germania ter. Ad. Imò ter hoc erat canendũ. Ber. Cõtraximus fiticulam, eamus ad compotationculam, ibi perficietur cantio. Ad. Non recuso, si ita uidetur arbitris. Ber. Incommodium est. Melius canet Gallus colluto gutture.

LVDVS SPHAERAE PER anulum ferreum.

GASPAR, ERASMIVS.

Gas. Age, nos auspicabimur, uicto succedet Marcolphus. Er. Sed quod erit uictori præmium? Gas. Victus ex tempore faciet ac recitabit distichon in laudem uictoris. Er. Accipio legem. Gas. Vísne sortiamur, uter prior incipiat? Er. Esto tu Prior, si libet, ego malim esse Abbas. Gas. Hoc tua conditio potior est, quòd tibi nota est area. Er. Versaris in tua arena. Gas. In hac exercitatior sum quàm in libris, tamen istud per quàm exigui momenti est. Er. Aequum est ut tantus artifex in hoc certamine mihi largiãre nonnihil. Gas. Imò istud absque peterem iustius, sed parum est honesta

Digitized by Google

precaria victoria. Is demum vincit, qui suo Marte vincit. Ita fumus pares, ut non melius commissus fuerit olim cum Bitho Baachius. Er. Tua sphæra commodior est mea. Gal. Et tua nulla vincit meam. Er. Ludito legitimè absq; technis, ac dolo malo. Gal. Dices tibi rem esse cum homine probo. Er. Sed prius audire cupio huius sphæristerij plebiscita. Gal. Quaternio ludum absoluit. Qui hanc lineam præterierit, in damno est: reliquos limites si transilias, sine fraude fiet. Qui globum suo loco mouerit, perdit ius feriendi. Er. Intelligo. Gal. En, occlusi tibi portum. Er. Sed isthinc te excutiam. Gal. Id si feceris, cedam tibi huius certaminis palmam. Er. Bona fide? Gal. Optima, non enim potes alia uia, nisi sic mittas sphæram tuam in parietem, ut resiliat in metam. Er. Id experiar: quid ais bone uir? Nónne depulsus es? Gal. Fateor, utinam tam sapiens esses, quàm es felix. Sed isthuc centies tentanti, uix semel successerit. Er. Imò si quid audes deponere pignoris, nisi tertio quoq; experimento successerit, uinces. Sed interim redde pactum præmium. Gal. Quôdnam? Er. Distichon. Gal. Reddam. Er. Et quidem ex tempore. Quid arrodis unguem? Gal. Habeo. Er. Recita clarè. Gal. Clarissimè.

Plaudite victori iuuenes hîc quotquot adestis,
Nam me qui uicit doctior est nebulo.

Nónne distichon habes? Eras. Habeo, sed quale abs te allatum est, tale tibi referetur.

SALTVS.

VINCENTIVS, LAVRENTIVS.

Vin. Libet ne decertare saltu? Lau. Ludus iste non conuenit pransis. Vin. Quamobrem? Lau. Quia uentris saburra grauat corpus. V. Non admodum sanè, qui pransi sint in pædagogio: nam hi plerunq; cœnaturiunt, priusquam absol-

Digitized by Google

absoluerint prandium. L. *Quod igitur saliendi genus placet?* V. *Auspicemur ab eo quod est simplicissimum, à saltu locustarum, siue mauis ranarum utraq; tibia, sed iunctis pedibus. Qui longissimè promouerit cingulum, coronam feret: huius ubi erit satietas, aliud atq; aliud genus experiemur.* L. *Equidem nullum recusabo genus, nisi quod geritur cum periculo tibiarum, nolo mihi rem esse cum chirurgis.* V. *Quid si certemus unica tibia?* L. *Iste ludus est Empusæ, ualeat.* V. *Hastæ innixum salire cum primis est elegans.* L. *Liberalius est certare cursu. Siquidem hoc certaminis genus apud Verg. posuit & Aeneas.* V. *Verum, sed idem proposuit & cæstuum certamen, quo non delector.* Lau. *Designa stadium, hoc loco sit carcer: Quercus ista sit meta.* V. *Sed utinam adesset Aeneas, qui proponat & præmia.* L. *Victori abundè magnum præmium est gloria.* V. *Victo potius dandum erat præmium solatij gratia.* L. *Sit igitur victo præmium, ut lappa coronatus redeat in urbem.* Vin. *Equidem non recusarim, si tu præcedas tibia canens.* L. *Est ingens æstus.* Vin. *Nec mirum, cùm sit solstitium æstiuum.* Lau. *Præstiterat natare.* Vin. *Mihi non placet ranarum uita, animal sum terrestre, non amphibion.* L. *Sed tamen hoc exercitamenti genus olim cum primis habebatur liberale.* V. *Imò etiam utile.* L. *Ad quid?* V. *Si fugiendi sit in bello, ibi potissimùm ualent, qui sese cursu pedum & natatu exercuerunt.* L. *Artem narras haudquaquam aspernandam: neq; enim minus laudis est, aliquando bene fugere, quàm fortiter pugnare.* Vin. *Sum planè rudis & imperitus natandi, nec sine periculo uersamur in alieno elemento.* Lau. *Sed adsuescere oportet: nemo nascitur artifex.* Vin. *At ego istius generis artifices permultos audio natasse, sed non enatasse.* Laur. *Experiere primùm innixus suberi.*

Digitized by Google

Vin. Nec ſuberi fido magis quàm pedibus. Si nobis cordi eſt natatio, ſpectator eſſe malo quàm certator.

VENATIO.

PAVLVS, THOMAS, VINCENTIVS, LAVRENTIVS, BARTHOLOMAEVS.

Pau. Trahit ſua quenq; uoluptas, mihi placet uenatio.

Tho. Placet & mihi, ſed ubi canes? ubi uenabula? ubi caſſes? Pau. Valeant apri, urſi, cerui & uulpes, nos inſidiabimur cuniculis. Vin. At ego laqueos iniiciam locuſtis, inſidiabor gryllis. L. Ego ranas captabo. B. Ego papiliones uenabor. L. Difficile eſt ſectari uolantia. Bar. Difficile, ſed pulchrum, niſi pulchrius eſſe ducis ſectari lumbricos, aut cochleas, quia carent alis. L. Equidem malo inſidiari piſcibus, eſt mihi hamus elegans. Bar. Sed unde parabis eſcam? L. Lumbricorum ubiq; magna eſt copia. B. Eſt, ſi tibi uelint prorepere è terra. L. At ego mox efficiam, ut multæ myriades proſiliant. B. Quo pacto? incantamentis? L. Videbis artem; imple hanc ſitulã aqua, hos inglandiũ ſummos cortices uirentes confractos immitto, hac aqua perfunde ſolum. Nunc obſerua pauliſper, uides emergentes? B. Rem prodigioſam uideo. Sic olim opinor, proſiliebant armati ex ſatis ſerpentinis dentibus. Sed pleriq; piſces delicatioris & elegantioris ſunt palati, quàm ut eſca tam uulgari capiantur. L. Noui quoddam inſecti genus, quo talibus inſidiari ſoleo. B. Tu uide an poſſis imponere piſcibus, ego ranis faceſſam negotium. L. Quomodo? reti? B. Non, ſed arcu. L. Nouum piſcandi genus. B. At non iniucundum: uidebis, & fateberis. V. Quid ſi nos duo micemus digitis? P. Ignauum eſt ac ruſticũ luſus genus, ad focũ deſidẽtibus magis cõuenit, quàm in cãpo uerſantibus. V. Quid ſi certemus nucibus? P. Nuces admodũ pueris

pueris relinquamus, nos grandiusculi sumus. V. *Et tamen nihil aliud adhuc, quàm pueri sumus.* P. *Sed quibus decorum est ludere nucibus, iisdem non indecorum est equitare in arundine longa.* V. *Tu igitur præscribito lusus genus, sequar quocunque uocaris.* P. *Et ego futurus sum omnium horarum homo.*

EVNTES IN LVDVM.

SYLVIVS, IOANNES.

Syl. *Cur adeò curris Ioannes?* I. *Cur lepus, ut aiunt, pro carnibus?* S. *Quid hoc prouerbij est?* I. *Quia nisi adfuero in tempore ante recitatum caulogum, actum est de pelle mea.* S. *Hac quidem ex parte nihil est periculi, modò præterita est quinta: inspice horologium, manus nondum attigit punctum, quod horam ab hora æquis spatijs dirimit.* I. *At ego uix habeo fidem horologijs, mentiuntur nonnunquam.* Syl. *At mihi fide, qui campanæ uocem audiui.* I. *Sed est & aliud, unde magis etiam timeam, recidenda est memoriter hesterna lectio satis prolixa, uereor ut possim.* Syl. *Commune periculum narras, nam & ipse uix satis teneo.* I. *Et nosti præceptoris sæuitiam, omnis illi noxa, capitalis est, nec magis parcit nostris natibus, quàm si corium esset bubulum.* S. *Verùm is non aderit in ludo.* I. *Quem igitur uicarium constituit?* S. *Cornelium.* I. *Strabũ illũ? uæ nostris natibus: is uel Orbilio plagosior est.* S. *Verum dicis, & ideò non ratò sum illius brachio precatus paralysin.* I. *Non est pium imprecari præceptori, nobis potius cauendum ne incidamus in illius Tyranni manus.* S. *Reddamus inter nos uicissim, altero recitante, altero codicem aspiciente.* I. *Pulchrè mones. Fac præsenti sis animo, nam metus officit memoriæ.* I. *Facilè deponerem pauorẽ, si non adesset periculum: at in tanto*

Digitized by Google

tanto discrimine quis possit esse securus animo? Syr. Fateor, attamen non agitur de capite, sed de parte diuersa.

ALIA.

CORNELIVS, ANDREAS.

Corn. Scitè tu quidem pingis, sed charta tua perfluit. Charta subhumida est, ac transmittit atramentum. And. Quæso ut appares mihi pennam hanc. Corn. Deest mihi gladiolus scriptorius. And. En tibi. Cor. Hui, quàm obtusus! And. Accipe coticulam. Corn. Vtrum amas scribere cuspide duriuscula, an molliore? And. Attempera ad manum tuam. Corn. Ego molliore soleo. And. Quæso ut mihi describas ordine figuras elementorũ. Cor. Græcas, an Latinas? And. Latinas primum: conabor imitari. Corn. Suppedita chartam. And. Accipe. Cor. Sed meum atramentum dilutius est, subinde infusa aqua. And. At meum linteolum prorsus exaruit. Corn. Immunge, nisi mauis immeiere. And. Imò potius rogabo aliunde. Corn. Præstat habere domi, quàm rogare commodatò. And. Quid est scholasticus absque calamo & atramento? Corn. Quod miles absque clypeo & gladio. And. Vtinam mihi essent articuli tam celeres. Equidem non possum dictantis uocem scribendo assequi. Corn. Prima cura sit, ut bene scribas: proxima, ut celeriter: Sat citò, si sat bene. And. Bellè, sed istam cantionem cane præceptori, cùm dictat: Sat citò, si sat bene.

BREVIS DE COPIA præceptio.

PRincipiò res ipsa puris, electis ac Latinis uerbis efferenda est: quod ipsum posse, non mediocris artificis est. Sunt enim permulti, qui nescio quo modo copiam & uarietatem orationis affectant, cùm ne semel quidem rem

possint

possint aptè explicare. Isti tanquàm semel balbutisse sit parum, balbutiem suam aliis atque aliis modis reddunt balbiorem, tanquàm ipsi secum certamen susceperint, ut quàm barbarissimè dici possit, dicant. Itaque inepti synonyma quædam congerunt, alteò interdum inter se dissidentia, ut ipsa mirentur quo pacto conuenerint. Quid enim absurdius, quàm hominem pannosum, cui ne una quidem, quam sine pudore possit induere, sit uestis, cum tamen subinde suos pannos mutare, ac mendicitatem suam pro opibus ostentare? At nihilo minus ridiculi uidentur isti uarietatis affectores, qui cùm barbarè semel dixerint, repetunt idem multò barbarius, demum iterum atque iterum indoctius. Hoc est, non oratione, sed solœcismis abundare. In primis igitur, ut dixi, res ipsa aptis atque electis uerbis est explicanda. Deinde mutatoriis uerbis utendum, si qua, quæ idem efficiant, reperiantur: reperiuntur enim permulta. Demum ubi propria deficient, translatitiis erit utendum, si modò uerecunda sit translatio. Ea quoque ubi deerunt, si per actiua dixisti, ad passiua reuertendum erit, quæ nobis totidem orationis reddant, quot ex actiuis constabant. Postrèd uerba si licebit, aut in nomina uerbalia, aut in participia commutabimus. Postremò, ubi modò aduerbia in nomina, modò nomina in alias atque alias partes commutauerimus, per contrarium dicemus, aut affirmatiuam orationem in negatiuam commutabimus, aut retrorsum, aut certè quod pronuntiatiuè dictum, per interrogationem afferemus. Nunc exempli causa hanc sententiam sumamus.

LITERAE TVAE MAGNOperè me delectauerunt.

Literæ

Digitized by Google

LITERAE.

Epistola, epistolium, scripta, schedæ, literæ.

MAGNOPERE.

Mirum in modum, miris modis, maiorem in modum, mirandum in modum, supra modum, plurimum, non mediocriter, summopere, maximopere.

ME.

Animum meum, pectus meum, oculos meos, cor meum Christianum.

DELECTAVERVNT.

Voluptate affecerunt, recreauerunt, exhilararunt, uoluptati fuerunt, oblectarunt, uoluptate perfuderunt, mellitissimæ fuerunt, iucundissimæ, &c. Habes materiam, tuum erit componere. Experiamur igitur. Faciamus periculum. C. Tuæ literæ magnopere me delectarunt. Tua epistola mirificè nos exhilarauit. A. Verte actiuum in passiuum, alia erit facies, Vt: Dici non potsit, quàm tuis sim scriptis exhilaratus.

ITEM PER ALIA VERba idem efficientia.

Tuis ex literis incredibilem cepi uoluptatem. Ex epistola celsitudinis tuæ plurimum uoluptatis accepi. Non mediocrem lætitiam tua mihi scripta attulerunt. Gaudio tua me scripta quantus eram perfuderunt. Hîc non ita liceret mutare in passiua, nisi in illo postremo, perfusus gaudio, quod usitatè dicitur. Capiebatur à me uoluptas: Allatum est gaudiũ, non perinde usitatè dixeris.

PER AFFICIO.

Singulari uoluptate literæ tuæ me affecerunt.

MVTA IN PASSIVVM.

Tuis scriptis incredibili sum affectus uoluptate. Non parum

rum gaudiorum tuum nobis epistolium peperit.

PER SVM, ET NOMINA
Adiectiua.

Tuæ mihi literæ multis modis iucundissimæ fuerunt. Fuit tua illa epistola sanè quàm gratissima.

PER NOMINA
Substantiua.

Ineffabili uoluptati tua nobis epistola fuit.
Incredibili iucunditati fuerunt tuæ literæ.

COMMVTA IN
negationem.

Tua scripta non mediocri lætitiæ fuêre. Nihil in uita tuis literis accidit iucundius. Quanquam hac ratione aliquoties iam usi sumus, quæ non est negligenter prætereũda. Nam quoties, multùm, plurimùm, singulariter, significare uolumus, per contrarium uerbum idem efficimus. Vt, uehementer te amat Henricus. Haud uulgariter te amat. Multùm me iuuat uinum, haud parum iuuat. Est uir singulari ingenio. Est uir ingenio non uulgari. Est homo doctrina admiranda. Est homo non contemnenda doctrina. Thomas est summo apud suos loco natus. Non infimo loco natus. Augustinus eloquentissimus fuit. Non ineloquens fuit. Carneades orator fuit nobilis, non ignobilis, non obscurus. Et id genus similia, quæ nunquam non usu ueniunt. Sed admonuisse rem clarissimam satis est. Nec te lateat, bifariàm nos huiusmodi orationum genere uti modestiæ causa, præsertim si de nobis ipsis loquamur. Tum etiam amplificandi gratia: nam non ingratum, pro ualde grato, non uulgariter, pro singulariter, rectè & uenustè dicimus.

MOD

Digitized by Google

MODESTIAE CAVSA.

Ego literis meis nonnullam doctrinæ ſum opinionẽ conſecutus. Semper curaui, ut in literaria gloria non poſtremas parteis tenerem. De amplificatione ſuperiora ſunt exempla, nunc ad noſtra reuertamur. Nihil tua epiſtola unquàm euenit gratius. Nulla res maiori unquàm uoluptati fuit, quàm tua ſcripta. Nulla unquam ex re tantundem cepi uoluptatis, quantum ex tuis literis amantiſſimis. Hoc modo ſingulæ orationes ſuperiores poterunt uariari per interrogationem. Quid tuis literis in uita iucundius eſſe potuit? Quid epiſtola illa tua nobis euenit dulcius? Quid ita oblectauit unquam, ut proximæ tuæ literæ? Hoc modo rurſum ſingulas ferè orationes uariare licebit. Cor. Quid deinde fiet? And. Iam paulò liberius totam orationem uertimus, ut unam dictionem pluribus uerbis circunloquamur. Cor. Dic exempli cauſa. And. Quod modò per nomen Incredibile, modò per aduerbium Incredibiliter, dictum erat, unam dictionem aliquod uerbis cõmutabimus. Literis conſequi nequeam, quantum tuis literis ſim delectatus. Et mihi ſcriptu, & tibi creditu perdifficile fuerit, quantæ iucunditati tua mihi ſcripta fuerint. Explicare prorſum nequeò quã ſim tuis literis gauiſus. Et item in infinitum. Rurſum alio pacto, nam hactenus & per negationem, & per interrogationem, poſtremò per infinitas orationes uariauimus. Nunc per ſubiunctiuas ſiue conditionales uariabimus hoc modo: Moriar, ſi unquam quicquam fiãt tuis literis optatius, aut dulcius. Peream ſi ulla res maiori uoluptati fuit, quàm tuæ literæ. Ita me Deus amet, ut nihil in uita tuis literis accidit iucundius. Et item alia multa in hunc modum excogitare licebit. Cor. Quid deinde? And. Nunc ad translationes, ſimilitudines, & exempla fugiendum eſt.

TRA

Digitized by Google

TRANSLATIO EST IN HIS.

Accepi literas tuas, quæ mellitæ fuerunt. Nihil nisi meræ delitiæ tuæ mihi scripta uidentur. Mera uoluptas sunt tuæ literæ. Et huiusmodi plurima, sed cauẽdum, ne obsolœtis, aut durioribus translationibus utamur, quale est illud:

Iupiter hybernas cana niue conspuit Alpes.

Et quale est illud: Cœna tuorum scriptorum me suauissimis epulis refecit.

COMPARATIO A' SIMILI.

Tua scripta omni uel ambrosia uel nectare suauiora fuêre. Tuæ literæ quouis melle mihi fuêre dulciores. Epistola humanitatis tuæ, & siliquam omnem, & mel Atticum, & saccarum omne, nectar, ambrosiamq; deorum, longè superauit. Hìc quicquid dulcedine nobilitatum est, in medium adduci potest.

AB EXEMPLO.

Nunquam adducar, ut credam Hero Leandri sui literas aut maiore uoluptate, aut pluribus oscuIis accepisse, quàm tuas accepi. Vix crediderim, aut Scipionem, euersa Cartagine, aut paulum Aemilium, capto Perseo, magnificentiorem egisse triumphum, quàm ego simul ac suauissima tua scripta, tuus mihi tabellarius reddidit. Huiusmodi tum ex fabulis, tum ex historijs infinita possunt inueniri. E' Physica uerò sumuntur rerum similitudines, quarum, quàmplurimarum naturas memoriter tenere necesse est. Nunc si libet, in alia sententia tentemus.

NVNQVAM DVM VIVAM, tui ero immemor.

Semper dum uiuam, tui meminero, Quoad uiuam,

Digitized by Google

nũquam me tui capiet obliuio. Prius uiuere desinam, quàm tui meminisse.

PER COMPARATIONES.

Si umbram corpus poterit effugere, & hic animus tui quibit obliuisci. Tui memoriam ne Lethæus quidem amnis poterit abolere.

PRAETEREA PER ἀδύνατον, AVT more poëtico per contraria.

Dum iuga montis aper, fluuios dũ piscis amabit. Antè leues ergo, & c. quæ non est multi negotij excogitare. Verũm ne immodici uideamur, his in præsentia cõtenti simus. Aliás si uoles, copiosius hac de re colloquemur. c. ego te Augustine iam planè exhaustũ putabam. Sed tu præter expectationem nouũ thesaurũ indicasti, quem si pergas explicare, nox antè occupauerit, quàm tibi eadem de re desint uerba. A. Si ego hoc mediocri & doctrina & ingenio præsto, quantum Ciceronem ipsum ualuisse credis, qui cum Roscio histrione certasse legitur? Sed sol nos reliquit. Humescit cœlum, præstat imitari auiculas, tectoq; ac lecto nos condere. Proinde uale mi Christiane suauissime in crastinum. c. Tu itidem bene ualeas Augustine omnium doctissime.

FINIS.

Digitized by Google

CANONES ALI,

QVOT VITAE IN=

FORMANDAE.

CANON PRIMVS.

ERSVASVM *sit adolescenti senibus ac maioribus natu plurimum reuerentiæ exhibere, quod Ciceronis hæc grauissima sententia monet.*

Adolescentis est maiores natu uereri, exq; his optimos eligere, quorum consilio atque autoritate nitatur.

Et Augustini de se loquentis:

Procellosam uitæ humanæ sum ingressus societatem, pendens ex parentum authoritate, maiorumq; nutu.

SECVNDVS.

Facilè argui, moneriq; patiatur, quæ ratio in omni ætate & causa atque conditione salutaris. Nam imbecillis est stomachi ferre non posse nisi delicata. Id quod Mantuanus hoc disticho expressit, cogitet adolescens:

Est opus ardentem frenis arcêre iuuentam,
Nec sinere in mores luxuriare malos.

TERTIVS.

Si est humilioris fortunæ, uel ingenij, uel corporis labore quæ ad uitam sunt necessaria, conetur parare, Cleantis more, qui noctu hauriebat aquam, ut latrantis stomachi lucrando solueret inediam, & liberè per diem incumberet studijs.

QVARTVS.

Si prosperiore genitus est sorte, res à maioribus par=

Digitized by Google

tas diligentia conseruet, memor huius Plautini: Miserum istud uerbum & peßimum habuisse, & nil habere.

Et huius Ouidiani:

Non minor est uirtus, quàm quærere, parta tueri.
Casus inest illic, hîc erit artis opus.

QVINTVS.

Parum loqui consuescat, præsertim quum omnibus ferè habeatur odio multiloquium. Xenocrates ait: Audi multa, loquere pauca, os enim unum, & aures duas à natura accepimus. Solon item interrogatus à Periandro, utrum propter inopiam uerborum, an quia stultus esset, taceret, respondit, nemo stultus tacere potest.

SEXTVS.

Si præclaræ est indolis, à malo consortio abstineat, sed tales sibi conuictores eligat, quales Aeneas Syluius Laodißlao Boëmorum regi adhuc adolescentulo præscripsit, inquiens: Sint ueraces tecum pueri, uerecundi, pudici, modestiæ cultores & sanctitatis: non ficti, non fallaces, non pertinaces, non uinolenti, non crapulosi, neq; iniurij.

SEPTIMVS.

Quòd comitate affabilitateq; uti deceat, Cicero sic prescribit. Difficile dictu est, quantopere cõciliant animos comitas affabilitasq; sermonis. Et alibi: Suauitas uerborũ atq; morum haudquaquã est mediocre condimentum amicitiæ.

OCTAVVS.

Cùm uel uiderit, uel audierit alterius quæcunque uitia non gaudeat, non detrahat, non rideat. Ne derisus cum Cicerone dicat: Nescio quomodo fiat, ut semper magis in alijs cernamus, quàm in nobißipßis si quid delinquitur. Non etiam ad similia irritetur, sed in memoria semper illud

Digitized by Google

illud Senecæ dicterium habeat.

Ex uitio alterius sapiens emendet suum.

NONVS.

Meminerit præterea adolescens mutabiles uices esse rerũ, & fortunã nemini simpliciter indulgere. Quod exemplo probatur Alcibiadis, qui in opulentißimo diuitiarum cumulo in exiliũ, inopiam, uiolentamq; mortem redactus expirauit. Item Dionysij maximarum opũ domini, qui propter inopiam, literas Chorinthij puerulos docuit.

DECIMVS.

Doceatur insuper contentionem esse odiosam, quæ hominem plurimùm contemptibilem reddit, cum quo boni uiri haud libenter amicitiam contrahunt. Sese alijs non præferat, non excellere appetat, non iurgia aut cõuitia alteri obijciat, meminerit uulgaris ueræq; sentẽtiæ: Puluere qui lædit scribit, sed marmore læsus.

VNDECIMVS.

Arceatur à nimio uino, quoniam immoderatus uini usus, & ualetudini bonæ inimicus est, et rectæ rationis usum magnopere perturbat. Quamobrem Lacedæmonij ebrios suos exhiberi in conuiuijs curabant, Nõ ut eorũ insulsis aut fœdis delectarentur sermonibus, sed ut adolescẽtibus suis ostenderent quàm esset turpe uideri temulentia correptũ. Vnde Hieronymus Hippocratem & eius interpretẽ Galenum citans, assuescat, inquit, puer moderatè & parcè cibo & potu uti, ne ut Cyrenæus Lacides paralysi correptus, pereat.

DVODECIMVS.

Est demum adolescentis aspernari otium, ad illud Ciceronis: Maximè hæc ætas à libidinibus arcenda est, exer-

Digitized by Google

cendaq; in labore, patientiaq;, & animi & corporis, ut eorum in bellicis & ciuilibus officijs uigeat industria. Et ad illud Ennianum: Otio qui nescit uti, plus habet negotij, quàm si sit negotium in negotio.

DECIMVS TERTIVS.

Estq; munditiæ adolescenti adhibenda, nec odiosa, nec exquisita nimis, ut sibi iuxta illud Planudis, non ex nimio splendore strepituq; uitæ conflet hominum inuidiam.

DECIMVS QVARTVS.

Contra deprædationes & furta sæpe ac multùm inculcetur pueris illa uerax Aurelij sententia: Peccatum nõ dimittitur, nisi ablatum restituatur.

DECIMVS QVINTVS.

Mentiendi nauitatem cane peius & angue uitet, ne in iuuentute mẽtiri assuescat, uir factus morem seruet, quo nihil turpius foret, nihilq; quod æquè maiores offenderet.

Hoc uitium Cicero diris execratur uerbis. Omnes aliud inquit agentes, aliud simulantes, perfidi, improbi, mali tiosi sunt.

FINIS.

VILLE DE LYON BIBLIOTHÈQUE

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google